


V 882

4/207  
F. 761





7  
EUCHARII GOTTLIB RINCK

ICRI  
IN ACADEMIA ALTORFINA IURIS  
PUBLICI PROF. ORDINAR.  
COMMENTATIO

DE

IMPERATORIBUS  
PRIMIS PERPETUIS  
AC SOLIS ACADEMIARUM  
IN GERMANIA AUTORIBUS

ANNO MDCCCXXXIII.  
PUBLICE DEFENSA  
NUNC

VT MULTORUM DESIDERIIS SATISFIAT  
ADCURATE RECUSA.

2/28/77

---

LIPSIÆ

LITTERIS GABRIELIS TROGII.  
MDCCCXXXVI.

(6

Stadtarchiv  
Rathenow

Abgegeben an  
Zentrales Antiquariat Berlin

EICHARII GOTTLIB LINCK

IN ACADEMIA ALTORFINA JURIS  
PUBLICI ET ORDINARII  
COMMENTATIO

IMPERATORIBUS

PRIMIS PERFECTUS

AC SOCIIS ACADEMIARUM

IN GERMANIA ALTORFENSIBUS

ANNO MDCCCXXXII

PUBLICE DEFENDIT

VT MUSEO  
PUBLICO  
DEPOSITA

V 882

ALTORFENSIS  
LIBRARIIS GARDNERIS FRIDERICI  
MDCCCXXXII

1964 K 1080





J. J.  
IMPERATORES PRIMI SOLI AC PER-  
PETUI ACADEMIARUM IN GERMANIA  
AUCTORES.

PARS PRIMA.  
DE ACADEMIIS IN GENERE.

I.



ES non noua proponitur; Ast quae hoc tempore, quo DEI immortalis benignitate, Academiae Altorffinae Iubilaeum celebramus, omnia beneficia praeterlapso saeculo accepta, securitatem praestitam, et quod illa antiqua sua sede sit stata, grato animo erga Diuinam benignitatem perpendimus, opportune reperitur. Post

*Scopus dissertationis.*

DEUM enim IMPERATORIS clementiam merito praedicamus, cuius summa auctoritate, et illa unica, haec Universitas fundata est, suisque priuilegijs gaudet; eapropter huius summi benefactoris Iura circa Academijs denuo proponere liceat.

Diximus in titulo, quod Imperatores primi fuerint, qui in Germania Academijs condiderunt. Quod assertum nemo inficias ibit, qui historiam patriam cognitam habet atque perspectam. Semper enim hi summi rerum Moderatores crediderunt, Impera-

*Imp. primi  
Academijs  
in Germania  
auctores.*

toriam Maieſtatem legibus ac ſtudiis armatam eſſe debere, nec ſufficere arma ad maieſtatem defendendam Imperatoriam, ſed etiam calamis eruditorum opus eſſe, quod in primis Ludovicus Bauarus, Romanorum Imperator, expertus et ſaſſus eſt.

*Quid ſit Academia?*

II. Quia totum negotium circa Academias verſatur, quid ſub nomine Academiarum intelligamus, prius explicandum eſt. Eſt igitur Academia *Corpus ſeu Collegium docentium ac diſcentium, in Diuini Numinis honorem ac Reipublicae vtilitatem inſtitutum, et ab Imperatore poteſtate honores ſcholasticos bene meritis conferendi, aliisque iuribus et priuilegiis, in primis Iurisdictione quadam, condecoratum.* Ita enim communiter exprimitur. vid.

*Synonyma.*

*LANS. de Academijs p. 1.* Multa autem huius verbi ſynonyma paſſim inueniuntur; modo enim Schola vocatur, modo Gymnaſium, modo Vniuerſitas, modo Vniuerſale ſtudium, modo Archigymnaſium: quod ultimum nomen Romanae in primis tribuitur; ſed etiam de alijs promiſſue haec dicuntur: verba enim valent ſicut nummi. In Germanica lingua nullam aliam habemus verbum, niſi quod vocetur eine hohe Schule.

*Qualis ſcholarum ſtatus ab initio in Germania.*

III. Quia omnes res tractu temporis penes cultiores, redduntur cultiores, mirum non eſt, ſi a primordijs Scholarum ſtatus preſſior fuerit et minor; eadem autem eſt planta, ea, quae pullulat, ac ea, quae flores et fructus oſtendit. Recte ab initio haec moneo, vt honor maneat duplici modo penes Imperatores, vt pote qui ſcholas introduxerunt, et etiam primi fuerunt, qui academias erexerunt. Neceſſe autem eſt, vt rem ab ovo inchoemus, vt ſciamus, quinam ſtatus fuerit diuerſis temporibus circa ſcholas in Germania. Nam aliarum Gentium inſtituta merito ſilentio praeterimus, vt pote quae ad nos non pertinent. Plura autem de his exponit Celeberrimus CONRINGIUS in *Antiquitatibus Academicis Diſſert. I. p. 47. ſeq.* Qui eruditiffimus vir omnium ſere gentium ſcholas expoſuit, quanquam MORHOPIUS in *Polybiſt. T. 1. L. 1. c. 16. n. 77* in eo notet, quod deſiciat

in



in specialioribus, hinc optat, vt singularum Academiarum historia ab aliquo deducatur, quod forsitan postea fecit FRIDER. LVCAE, Collegii Historici Imperialis focius, cuius memoria etiam ob alia scripta inter eruditos grata est. Huius Viri Europaeischer Helicon vt opus posthumum prodiit Francof. 1711. in 4t. quo labore, etiamsi multa adhuc adici possent, respectu Germaniae superauit FR. IVNIUM, MIDDENDORPIUM, qui de Academiis Germaniae contextuit opusculum; nec non DÖRINGIUM, qui in *Bibliotheca Iur.* voce *Academiae Germaniae* imprimis Academias illustrat; vt alios taceam, quos omnes allegat se dulus, dum viueret, Collector CASP. THVRMANN, IC. in *Bibliotheca academica* secundum materias disposita.

IV. Primaeuam Germaniam non nisi tempore Taciti con-  
siderare possumus, quia ante illum nullus de maioribus nostris ex-  
tat scriptor, qui rem Germanicam ex instituto tradere voluisset. Taciti tempus  
initium nobis  
ssit.  
Huius autem grauissimi scriptoris fide, martia gens imprimis erat  
dedi a bello, & huius respectu non desuerunt scholae, sed quae ad  
nostrum scopum non pertinent, notata tamen quaedam de his  
sunt in ORTELII *Aurei saeculi Imagine*, p. 1. qua Germanorum Puerorum ap.  
Germanos ex-  
ercitium.  
veterum Vitam, Mores, Ritus et Religionem exponit. *A par-  
vulis*, inquit, *duricie studere, Caesar tradit. Pueros protinus  
hastile tenerum vibrare, scribit Seneca. Nudi iuuenes, quibus  
id ludicrum est, inter gladios se atque infestas frameas saltu  
iaciunt, teste Tacito. In pueritia nudos agere etiam in maximo  
frigore, fatentur Pomponius & Tacitus;* et quod in arte equi-  
tandi se etiam exercuerint, quis dubitare potest? Ita nauabant  
operam armis, aptitudini et duricie corporis, non sine inspectione  
et directione peritorum.

V. Sed maioris momenti quaestio est, an etiam literas ha-  
buerint ea aetate Germani? nam si hoc demonstrari posset, dicere An Germani  
literas habue-  
runt.  
non erubescerem, quod etiam literarias suo modo habuerint scho-  
las. A pluribus, quos inter familiam dicit CLUERTUS de Ger-  
mania antiqua, L. 1. p. 167. 181. id hactenus negatum fuit,  
allegan-

allegantes hunc in finem verba TACITI de moribus Germaniae c. 19. *literarum secreta viri pariter ac feminae ignorant.* Sed HEIGIUS in quaestionibus iuris L. I. q. 7. n. 58. haec verba explicat de secreta literatura, quae Bardis Germanorum erat propria, quem etiam secutus est MORHOFIUS in *Unterricht von der Teutschen Sprache*, c. 6. p. 301. Maiori autem accuratione ac eruditione nostro tempore viri eruditi, imprimis celeberrimus IO. GUIL. BERGERUS, Saxoniae decus, in dissertatione: *Priscum Germanum haud illiteratum*, qui doctissimis iisque nouis argumentis demonstrat, quod per verba: *literarum secreta*, literae amatoriae sint intelligendae, quae Taciti tempore penes Romanos in usu erant, et pudicitiam sequioris sexus corrumpebant, cui sententiae ob pondus probationum adductarum nemo refragari potest, totus etiam locus Taciti de nationis castitate, non de ipsius eruditione, loquitur. Sed an literarum gnari fuerint Germani, mihi adhuc restat dubium quoddam. Nam si verba Taciti hunc sensum haberent, quemadmodum habere possunt: *Septa pudicitia agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis conuiuiorum irritationibus corruptae. Literas amatorias viri pariter ac feminae ignorant, utpote qui scribere nesciunt. Paucissima in tam numerosa gente adulteria*, certe omnem mihi spem de literariis scholis abriperent. Quod autem alia loca Taciti inscitiam Germanorum in scribendo indigent, et illos illiteratos faciant, vix negari potest. Dum cap. 2 ej. Lib. de eorum Theologia loquitur, his verbis utitur: *Celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriae et annalium genus est, Trusconem.* Excludit itaque omnem alium modum, quo rerum memoria conseruatur, consequenter etiam scripturam, qui modus penes alias gentes pro optimo habetur. Imprimis autem verba *memoriae genus* sunt notabilia, nam Galli suas disciplinas literis non mandabant, sed per versus ediscebant, in reliquis autem rebus Graecis literis utebantur, norante id Caesare, sed penes Germanos nullam memoriae genus praeter carmina. Idem scriptor Romanus hoc libro

c. 19.

In dubium  
vocatur.

c. 19. in f. de Germanicae nationis legibus ita dicit; *Plus ibi boni mores valent, quam alibi bonae leges.* In his verbis ius scriptum et non scriptum seu consuetudinarium per oppositionem indigitat, et Germanos scriptas leges, quemadmodum alii populi, non habuisse, sed bonas consuetudines, quae ob defectum scribendi artis, in scripturam redactae non essent, innuit. Quis autem dubitare potest, quod populus, qui scribendi artem casset, illam adhibere nollet in consignandis legibus adeo necessariis ad conservandam Rempublicam? Scimus in Imperio quam perniciosum fuerit, quod consuetudines, quae in electione Imperatoria obtinebant, non fuerint scriptis legibus conservatae. Eapropter etiam Carolus IV. Imperator in prooemio A. B. necessitatem scripturarum legum tali modo commendat: *Sane cum ex officio, quo Caesarea dignitate potimur, futuris divisionum periculis inter Electores ipsos, occurrere teneamur: Infra scriptas leges ad unitatem inter Electores fovendam, electionem unanimem inducendam, ac detestandae divisioni praedictae variis que periculis ex ea sequentibus aditum praeccludendum - - - statuimus sancendas.* Caeterum, etiamsi a silentio autorum petiitum argumentum non semper sit firmissimum; attamen meae opinioni conducit, quod nullus scriptorum veterum de Germanorum literis mentionem faciat, Caesare nihilominus norante Gallorum Graecas literas. Tandem nullum monumentum restat in patria nostra, quod de prisorum Germanorum literarum cognitione testimonium perhibere possit. Dum scripturam et literas nego Germanis, illis eruditionem, aequitatem et coltam iustitiam non abnuo. Eleganter dicit laudatus BERGERUS a. l. : Non obscure plus barbari invenitur apud Romanos, quam apud Germanos, quando apud hos plus valent boni mores, quam apud illos bonae leges. Forsan etiam literas, quarum notitiam a Gallis habebant, consulto et ob causam politicam neglexerunt, quemadmodum Turcae avertisantur Typographicam artem, seu ipsi olim modum cingendi loca muris,

*Nec eruditio  
nec scholae  
Germanis ne-  
ganda.*

VI. Quod suo modo eruditionem habuerint Germani, multo labore probare conatur de Germanica antiquitate optime meritus **CLUERIUS** in illo omni laude digno opere de Germania antiqua L. I. c. 24. p. 168. Primo enim dicit, quod mores Celtarum, id est Gallorum et Germanorum, nam de reliquis hic sermo non est, fuerint ab initio iidem. Forfan etiam **TACITI** verba locum hic inuenire possunt, quando a. L. c. 28. de Gallis loquitur, quod olim eorum res validioris fuerint, et quod in Germaniam transgressi sint. *Quantulum enim, inquit, annis obstabat, quominus, ut quaeque Gens euauerat, occuparet permutaretque sedes, promiscuas adhuc, et nulla regnorum potentia diuisas.* Promiscuas itaque habuerunt sedes, promiscuos etiam mores. De Gallorum Scholis tali modo loquitur **CAESAR** Commentar. VI. 14. *Magnum numerum Versuum ediscere dicuntur: itaque nonnulli annos vicens in disciplina permanent, neque fas esse existimant, ea literis mandare; quum in reliquis fere rebus, publicis priuatisque rationibus, Graecis literis utantur.* Ut adhuc moneam, nullas habebant literas nisi peregrinas, quas a Missiliensibus acceperant, quas ad scholas suas non admittebant, ubi tantum valebant studia versibus non literis inclusa, hinc sequitur, quod etiam Germani proprias non habuerint literas. Qui autem asserit, quod Graecae litterae ad Germanos a Gallis peruenerint, id idoneis argumentis demonstrabit. Qui in his scholis fuerint eruditi, a quibus, de quibus rebus, quam diu, et quo loco, docet **MEIA** L. III. c. 2. *Habent Magistros Sapientiae Druidas. Hi terrae mundique magnitudinem ac formam, motus coeli ac siderum, ac quid dii velint, sciri profitentur, docent multa nobilissimos gentis clam et diu vicens annis in specu aut in abditis saltibus. Unum ex-iis, quae praecipunt, in vulgus effluit, videlicet ut forent ad bella meliores, aeternas esse animas, vitamque alteram ad manes. Nemo itaque dubitare potest, quod in his scholis species inueniatur academiarum, et studii universalis, in quibus Theologia, Iuris prudentia, Medicina et Philosophia proponebatur.*

*Quomodo hae  
scholae se ha-  
buerint?*

Fort. III

Fortassis etiam gradus et honores eruditionis acceperunt auditores, id quod colligere licet ex spacio temporis, quod impendere debebant. Est quod hi gradus aliter se habuerint ac in nostris Uniuersitatibus, res nihilominus eadem manet, quemadmodum bellum, etiamsi prisco tempore alio modo gestum fuerit ac nostro. Unicum hic monere necesse est, nimirum quam differentiam agnoscamus inter scholas et academias. Scholae itaque tantum pertinent ad pueros. Academiae autem sunt illa collegia, in quibus altiora studia tractantur, et studiosi permanent, usque dum perueniant ad illam habilitatem, qua relictis scholis inservire possunt Reipublicae. Hoc non tantum demonstrat, quod hae memoratae Germanorum Scholae academiae fuerint, sed etiam in sequentibus, utilitatem suam saepius praestabit. Quia de autore Uniuersitatum in hac disputatione loquimur, etiam hic inquirendum esset, qua autoritate hae Germanorum academiae fuerint conditae, sed eo tempore quaeuis provincia in Germania suo peculiari gaudebat regimine, ut impossibile sit, certi quid de hoc demonstrare.

VII. Cum Romani tentarent Germaniam, et circa confinia quasdam provincias ad breue tempus occupassent, studebant <sup>Romanorum</sup> Scholae Latine <sup>per Scholas institutas</sup> animos Germanorum reddere Romanis familiaris, suamque introducere linguam, quod institutum in Hispania et Gallia ipsis feliciter cessit, ita ut incolae vernacula extineta, loquendo romanam linguam se putarent romanos. Ita etiam in Germania quaedam Scholae Romanae inueniebantur, de quibus audiendus est BEATUS RHENANUS, qui L. 2. rerum Germ. tali modo de illis differit: *Trans-danubianae provinciae Rhetia prima et secunda, Noricum ac Panonia prima et secunda, atque cis Rhenanae provinciae, Rhetiae primae pars, pars maxima Sequanorum, Germania prima et secunda, postquam a Romanis subactae sunt, sermonem Romanum omnes acceperunt. Nec tantum de vulgari lingua solliciti erant Romani, sed et latinam tradicarunt Provincialibus, unde municipales illae scholae apud Vifon-*

tionem et Lugdunum, et illa apud Clivum in Germania secunda, cui praefuit Eumenius Rbetor. Hoc enim pacto feritatem animorum paulatim abstergebant. Verum Tribores, qui in Mediomatricorum tractu confederunt, ubi hodie est Alsatia, Nemetes, Vangiones, Ubios, Tungras, Betasios et similes populos, qui e Germania transgressi in Galliam Rbeno propinquos agros occupauere, libenter crediderim bilingues fuisse. Certe eos, qui Rbeni (Tacit. Ipsam Rbeni ripam haud dubie Germanorum populi colunt, Vangiones, Treboci Nemetes) ripam colebant, nihil ambigo Germanicum sermonem retinuisse, propter assidua cum trans Rbenanis Germanis commercia. Quae conditio harum scholarum fuerit, quando et quomodo fuerint institutae, etiam non etiam fuerint multiplicatae, nos non moratur.

*Alius status  
scholarum,  
sub Francis et  
Christiana Re-  
ligione intro-  
ducta.*

VIII. Nouo Imperio et noua Religione introducta, etiam nouae in Germania erectae fuerunt scholae. Vidimus statum Gentilem, quaedam adduximus de Romanorum institutis; nunc etiam tempus, quo rerum potiti sunt Franci, et Religio Christiana suo lumine tenebras pellebat e Patria nostra, est confiderandum. Propius enim nos adducit ad Academias, quae heic loci considerandae veniunt. Clodouaeus primus fuit Germanorum, quos Francos appellamus, Regum, qui Christianam Religionem amplexus est. Nam etiam si Burgundiones, etiam Germanica natio, iam ante illum saluiferam fidem ope Seueri Treuitorum Episcopi professi essent, vid. VALETIUS rerum Francicarum L. III. p. 137. seq. parua tamen eorum fuit ciuitas, et paulo post retento nomine penitus deleta. An autem Merouingici Reges de scholis in Germania constituendis solliciti nimis fuerint, dicere non audeo, tales enim illos depingit historia, ut magni nominis GILLUS NAUDE in elegantissimo libro *Coups d'Etat* c. 2. p. 107. non erubescat de Cleouaeo imprimis dicere: *Clouis commit des choses si inuisibles, que ie ne scay pas quelle pensee a eu le bon homme Sauaron, de faire un liure de sa sainteté.* Nihilominus pia ipsius erat meditatio, cum in proelio contra Aleman-

nos

ACADEMIARUM IN GERMANIA AUCTORES. II

nos ad Tulbiacum commisso, desperatis rebus Christum inuocauit, promissa obedientia, quod votum postea soluit. In quo conueniunt omnes scriptores, nisi quod OLIUIER UREDIUS, in *historia Flandriae Christianae p. 1. seq.* locum in dubium vocet, et pro Tulbiacense oppidum Zulich, validissimis argumentis, *Tulbiacense seu Tullense*, legendum esse demonstret, quanquam huic emendationi non subscribat P. GABRIEL DANIEL, accuratissimus et nouissimus Gal. historicus *T. I. p. 15.* Sed haec obiter. Ad scholas me conuerto. Illae, in obedientiam Christi reductis regnis Europaeis, ex sententia celeberrimi Germaniae Doctoris CONRINGII *Antiquit. Academ. Dissert. III. p. 63. seq.* triplicis sunt generis, nimirum *Monasticae scholae, Episcopalia Collegia, et scholae maiores in Urbibus institutae*, quod ultimum genus originem nostris Academiis dedit. Negandum tamen non est, quod ante fundationem harum scholarum, Romae et Constantinopoli, semper superfuerint scholae, quanquam secundum temporum autationem mutatae, vid. CONRING. a. l. et de studiis liberal. U. bis Romae. Quin imo haec dici possunt de omnibus aulis ac Regiis, nescio enim, quo modo aula, nisi absolute barbara, et a commercio cultiorum populorum remota, sine literis subsistere possit. Ipsi Germani cultum literarum fugientes, ne armorum exercitio subtracci, effeminari redderentur, in aulis principum linguae et literarum Romanarum habebant notitiam. Probat hoc Romanorum scriptorum summus, MAGNUS IULIUS, L. I. c. 44. de bello Gallico, ubi Auiouistum Germanorum Imperatorem, ita secum colloquentem inducit: *quod nisi Caesar decedat, aut exercitum deducat ex his regionibus, sese illum non pro amico, sed pro hoste habiturum: quod si eum inter fecerit, multis sese nobilibus, principibusque populi Romani gratum esse facturum, id se ab ipsis per eorum nuncios compertum habere: quorum omnium gratiam atque amicitiam eius morte redimere pesseret.* Siquis iniret, verba, per eorum nuncios, tantum linguae latinae notitiam inuolueret, non vero scribendi scientiam, seu quod nun-

*Triplicis Genus Scholarum sub Francis.*

*Literae in Aulis Principum Germ. cultae.*

cii Romani Germanicam linguam calluerint, et per hanc Ario uisio Romanorum desiderium patefecerint; illis oppono exempla Arminii, Flauii, Segestis, Marobodui, aliorumque principum Germanicorum, qui perpetua commercia cum Romanis ab initio aluerunt, et literarum romanarum ignari esse non potuerunt. Sed quod Principibus adseribo Germanicis, toti populo merito nego. Dum de Principum eruditionis aulica loquor, silentio praeterire non possum Francicorum Regum scholas palatii. Incidunt quidem illae in cultiora tempora, a quo autem tempore fuerint introductae, ex antiquitatum monumentis non adeo liquet. Primum testimonium nobis reliquit Alcuini epistola ad Carolum M. et quod adhuc tempore Lotharii Imp. cultae fuerint, docet Angelomus Luxouienfis Monachus, quos allegat IO. LAUNOIVS *de scholis, a Carolo M. et post illum in occidente instauratis c. IV.* rantae fuerunt eruditionis et autoritatis, ut praecipuam sacrae doctrinae curam haberent, erroneasque opiniones damnarent, unde colligo, quod Theologia primarius harum scholarum scopus fuerit. In quem finem Bibliotheca instructissima gaudebant. Quanta etiam eo tempore Regia Autoritas fuerit in rebus sacris, hae scholae demonstrant. Nullus autem dubito, alias etiam disciplinas et linguas in illis expositas fuisse, quae forsitan longe ante tempora Caroli Magni introductae, reliquarum scholarum exemplar fuerunt, ita, ut in hoc instituto nouum argumentum inueniri possit, quod summi principes primi autores fuerint illarum scholarum, quas postea Vniuersitates appellarunt.

*Scholae Palatinae.*

*Quales fuerint  
Monasticae  
scholae.*

IX. Ad *Monasticas scholas* quod attinet, harum autorem nominant in Occidente S. Benedictum, utpote qui primus monasticam vitam ibi introduxit, BARON. ad ann. Christi 494. 529. Nemo itaque per uniuersam Europam nomen aliquod scripto libro obtinuit, qui non in Monasterio sit educatus. Germania nostra, quae Britannicis Monachis Christianae fidei exordia debet, ipsis etiam debet melioris eruditionis initia. Mirum itaque non est, quod omnes eruditi Viri eo tempore ex monasteriis illis prodierint,



dierint, quales penes nos sunt Rabanus Maurus, Strabus Fulden-  
 sis, Haymoinus, Walafrius Strabo, Paschasius Ratbertus, alii-  
 que. vide CONRINGIUM a. l. p. 65. Qualem autem formam ha-  
 buerint hac scholae, non audeo dicere, hoc tantum scimus, quod  
 Clerici praeter sui ordinis homines raro Laicum admiserint, quo  
 factum, ut ad illos solos recurrere, in casu eruditae interpretatio-  
 nis, caeteri fuerint coacti. Ex quo recte concludimus, quod haec  
 scholae ab initio tantum fuerint priuatae, quae ad publicas nostri  
 temporis referri quidem non possunt, sed quae illis temporibus  
 loco omnium, publicarum & priuatarum, erant. Redolet hoc  
 antiquitatem Germanorum gentilem, quorum Druidae tantum ad-  
 mittebant nobilissimos gentis, qui in ordine manserunt, nam vni-  
 cum ex praeceptis in vulgus effluit, dicit MELA L. III. c. 2. plura  
 vide apud CONRINGIUM de scriptoribus XVI. post Christum natum  
*seculorum, in prolegom. a Krautizio adiectis. c. II. §. 29. pag. 26.*  
 In Germania nostra inter Benedictinas scholas primum locum  
 obtinet *Fuldensis*, quae teste LAUNOIO a. l. c. VIII. pag. 40. *Fuldensis scho-*  
 Caroli M. instinctu, a Baugulfo Abbate fuit in ordinem redacta. *la.*  
 Malui enim hac in re Launoium sequi, quam Bruschiū, qui id  
 adscribit Sturmio, addens, quod habuerit quadringentos discipu-  
 los. Quod Monastici illi tantum fuerint, harum scholarum institu-  
 tum docet. *Neque enim verum est, sunt verba CONRINGII Antiquit.*  
*Acad. Dissert. III. p. 63. quod nonnulli tradunt, ex primo insti-*  
*tuto suo discurrere ista haec scholas fuisse publicas, promiscue om-*  
*nium, etiam ordini isti non addictorum. Quippe quam sen-*  
*tentiam et Regula ipsa S. Benedicti et historia temporum falsi*  
*coarguant.* Atamen inficias ire non possum, in tanto numero,  
 modum excedente vnius Monasterii, etiam laicos fuisse audito-  
 res, me persuasum esse. Quam sententiam infra exemplum Ruthar-  
 di Monachi corroborabit. Tantaem fuit haec schola eruditionis  
 et auctoritatis famae per totam Europam, imprimis tempore Rabani  
 Mauri Abbatis, qui Monasterium rexerat A. C. 825. *ut laus et me-*  
*moria Fuldensium Monachorum apud Imperatores, Reges et Prin-*  
*cipes*

*ciper in magno pretio fuerit non solum propter sanctitatem vitae, sed etiam propter incomparabilem scientiam literarum, quae prae caeteris multis dicebantur eruditi; unde multi ex iis in diuersis Ecclesiis ad apicem Pontificatus fuerunt assumti.* Id testante TRITHEMIO in Chronico Hirsaugiensi, et MEGINFREDO in vita Rabani, qui vna cum Scrabo, qui discipulus et successor Rabani fuit, in omni disciplinarum genere eo tempore omnibus palmam praeripuerunt, ut ipse fatetur LAVNOIUS. a. l. Schola Benedictinorum *Hirsaugiensis* quoad antiquitatem a quibusdam illi Fuldensi praeponitur, putantibus, quod ipsum Monasterium sit fundatum A. C. 645. quam aetatem ipse TRITHEMIUS in Annalibus huius Monasterii non affectavit. Quamquam enim distinguunt inter primam et secundam fundationem, quae accidit circa A. C. 830. facta tamen fuisset prima ante tempora S. Bonifacii, id quod versimile haud est. Notatu autem dignum est, quod Rurhardus Monachus huius coenobii, Rabani et Strabi discipulus, ad suam audiendam eruditionem etiam auditores saeculares admitterit. *Tam vero eruditus in omni scientia fuit, dicit TRITHEMIUS in Chronico Hirsaugiensi, ut non solum Monachi de aliis coenobiis ad audiendum illum, sed etiam saeculares certatim confluerent.* An hi ultimi perpetui fuerint auditores, merito dubito. Eandem incertitudinem originis pariter San Gallensis schola coenobii Benedictinorum, si initia petunt a tempore C. A. 680. vide BRVSC. de Monasteriis Germaniae Parte I. p. 407. Eapropter LAVNOIUS a. l. c. 17. originem plane tacet, et generaliter ad tempora Caroli M. refert. Hoc verum est, quod beneficiis horum Imperatorum Carolingicorum, aequae haec ac antecedens Hirsaugiensis schola, ita fuerit stabilita, ut studia in Germania introducere, eaque promouere possit. Eosdem autores habuit *Monasterium Benedictinorum, Corbeja noua*, nam filia est illius Galliae Monasterii, Corbeiae ob id antiquae vocatae. Iam Caroli M. temporibus meditatus est Gallicus hic Abbas, ut in Saxonia sua ope extrueretur coenobium, donec tandem campos voti factus

*Hirsaugiensis  
schola.*

*San Gallensis  
schola.*

*Corbeja noua.*

etus fit sub regimine Ludouici Pii Imperatoris. Eruditionis Fama huius coenobii totam Germaniam et vicinas regiones impleuit, vt etiam pro summis haberentur Monachi doctoribus, ad quos recurrerent, sede vacante, vicini episcopatus. *Corbeia nostra ad Visurgim*, dicit **CONRINGIUS** in antiquitatibus Academicis Differt. III. p. 65. *Bremæ dedit ordine integros quinque priores Episcopos, eosque omnium optimos, nec minus alibi pari virtute aliquam multos.* Alios doctissimos pariter ac piissimos huius coenobii incolas recenset **TRITHEMIUS** in Chronico Hirsaugiensi, quos etiam collegit **LAUNOIVS** a. l. c. 18. Nolo prolixior esse in enarrandis his scholis Monasticis primis et antiquissimis, reliqui videri possunt penes **LAUNOIVM de scholis a Carolo M. et post Carolum M. in occidente instauratis.** Sufficit mihi, quod per exemplum adducta demonstrauerim, Imperatores etiam suadendo has scholas eruditionem introduxisse in Germania, et viam strauisse Vniuersitatibus.

X. Alterum Genus scholarum *Episcopalia Collegia* constitunt, quæ originem debent Sancto Augustino, ita enim perhibet **POSSIDIUS in vita S. Augustini. c. 5. Factus presbyter monasterium intra Ecclesiam mox instituit, et cum Dei seruis viuere cepit, secundum modum et regulam sub sanctis Apostolis constitutam.** A quo tempore inualuit, vt Episcopatibus coenobia iuncta, et coenobitæ dici fuerint a Canone obseruato Canonici, seu regulares. Hoc autem accidit circa finem seculi IV. Augustinum secuti sunt postea alii Episcopi sponte quidem, sed quod postea Cæsarum Autoritate in Germania per legem fuit introductum. Nam cum in Anglia Eboraci schola talis esset instituta, Carolus Magnus ad imitationem Angliæ, quæ etiam hac in re laudabile dedit exemplum, tales scholas vna cum Episcopalibus introduxit. Refert hoc **BARONIUS** in annalibus Ecclesiasticis ad annum C. 761. *Hoc anno, dicit, in Anglia Ebertus Episcopus, Eboracensis Regis Germanus scientia et sanctitate clarus, diem clausit extremum. Fuit iste magister Albini, qui Alcuinus*  
Flaccu

*Episcopales  
scholæ.*

Flaccus dictus inuenitur, qui ipsum pluribus laudat in literis, ad Carolum Magnum scriptis, utpote quod inter alia insignia opera, publicum sacrarum literarum Gymnasium Eboraci instituit, eamque ecclesiam nobili Bibliotheca ditauit. Publicum Gymnasium istud fuisse, dictum est; quomodo autem ab initio se habuerint illae scholae, dici non potest. Credendum est, quia nulla lex arcebat extraneos, quod etiam hi admissi fuerint auditores, Alcuinus itaque missus ad Carolum Magnum, ipsi autor fuit, ut introducerentur in quavis sede Episcopali scholae. Id quod etiam CONRINGIUS agnoscat Antiquit. Academicarum Dissert. III. p. 66. Nono, quod diximus saeculo, et haec Canoniorum aut Monachorum, perinde enim propemodum tunc quidem fuit, collegia frequentibus sunt instituta, et simul passim locorum iis iniunctum scholarum habendarum uegotium, auspicio cum primis atque autoritate Caroli Magni ac Ludouici Pii, primorum Francicae stirpis Caesarum. Nec enim ullam hi Episcopalem constituerunt cathedram, nisi adiuncto simul Canoniorum Collegio, cui ex praescripto S. Augustini fuerit uiuendum. Probationes asserti desumit ex ANSEGISIO ABBATE, et CONSILIO CABILONENSI c. 43. imprimis autem illius uerba sunt notabilia in collectione Capitularium Caroli Magni: *Carolus siquidem constituit, in singulis monasteriis et Episcopis scholas esse, ubi ingenuorum et seruorum filii Grammaticam, Musicam et Arithmeticam doceantur.* In quo simul apparet, qui fuerit edoctus, et de qua re, et quod scholae fuerint quosvis admittentes auditores, h. e. publicae. Communiter primum locum inter has scholas Episcopales addicunt *Osnabrugensi* scholae, utpote quae prima in Germania septentrionali a partibus Saxonice a Carolo Magno esset erecta, ut Pietas et studia cultiora redderentur. In hunc finem allegant Privilegium, quod Carolus Magnus huic scholae concessisset, et quod olim ab omnibus pro genuino habitum fuit, ea propter etiam Conringius in Antiquitatibus Academicis p. 67. illud loco probationis ex Kranzio producit, dum probare satagit, Episcopales scholas autoritate Caroli M. in Germania esse intro-

cias

Publicae scholae fuerunt

Schola Osnabrugensis.

cras. Sed vero nostro tempore de illo dubium mouerunt erudi-<sup>Eius diploma</sup>  
ti, inter quos Celeberrimus ECCARDVS, de tota Germania eius <sup>in dubium vo-</sup>  
que antiquitate optime meritus Vir, in peculiari schediasmate; <sup>catum.</sup>  
*Diploma Caroli M. imperatoris, de Scholis Osnabrugensis Eccle-*  
*sie Graecis et Latinis, critice expensum*, tantum pondus addi-  
dit suis argumentis, vt difficile videatur, ad defensionem huius  
priuilegii validi quid producere. Quia duo imprimis in hoc pri-  
uilegio Imperatoris inueniuntur; Erectio scholæ, et concessa bo-  
na ad sustentationem Episcopatus et scholæ, facile in oculis in-  
currit, quem finem Diploma hocce prae se habeat et respiciat.  
Etenim, etiamsi huius monumenti autoritas destructa sit et la-  
befactata, dubitare tamen nollem, quod Carolus Magnus iam  
suo tempore in hac sede Episcopali Osnabrugensi scholam con-  
diderit, docet enim hoc locus Ansegisii Abbaris supra citatus;  
*Carolus constituit in singulis Monasteriis et Episcopis scholas.*  
Quæ verbanon tantum pertinent ad Episcopatus ab ipso Carolo  
erectos, sed etiam ad omnes alios, vbi scholæ nondum inuenie-  
bantur. Sed vt verum fatear, nullum plane eruditionis nomen  
haec schola acquisiuit, reliqua nulla de eius splendore alia adsunt  
testimonia; ita, vt etiam Launojus dubitauerit, an inter scholas  
istius temporis referre vellet, nisi Carolum M. haberet autorem.  
Alia exempla Episcopatum scholarum adducere super se deo, suffi-  
cit mihi demonstrasse. Imperatores etiam in hoc genere scholarum  
primos auctores extitisse in Germania. Erant autem hae scholæ,  
quam curta etiam ipsis fuerit supellex, loco Uniuersitatum: nam  
talisa sunt praedicata, qualia permittuntur esse a suis subiectis. Eru-  
ditio ipsa altiore gradum ea tempestate non attingerat, ea pro-  
pter his limitibus, quantum vis angustis, includi poterat. Audito-  
res in illis permanebant, usque dum Reipublicae seruire se aptos  
sentiebant, et sic etiam hoc respectu cum Academiis aequiparari  
possunt, quemadmodum supra §. VI. monui. Sed negari non <sup>Scholae mino-</sup>  
potest, quod eo tempore etiam pro paruulis scholæ fuerint ador- <sup>res, per villas</sup>  
natae minores, imprimis in Gallia, probatur hoc per locum Capi- <sup>et vicos.</sup>  
tularis,

tularis, quod Theodolphus Aurelianensis Episcopus ad Dioce-  
sis suae presbyteros habuit ante annum 400. et quidem num. 20.  
Presbyteri per villas et vicos scholas habeant, et, si quilibet fide-  
lium suos paruulos ad discendas literas eis commendare vult,  
eos suscipere ac docere non renuant, sed cum summa caritate  
eos doceant, attendentes illud, quod scriptum est: Qui autem do-  
cti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad iu-  
stitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas ae-  
ternitates. Cum ergo eos docent, nihil ab eis pretii pro hoc exi-  
gant, excepto, quod eis parentes caritatis studio sua voluntate  
obtulerint. Quae scholae publicae ad instruendos paruulos sine

Scholae Episco-  
pales non diu  
in eodem statu  
permanent.

dubio etiam in Germania fuerunt institutae. Unicum addere  
necesse est. Non diu haec eruditionem propagandi solertia ob-  
seruata fuit, nec eadem mansit in scholis maioribus bello et abun-  
dantia primium feruorem destruentibus, nam si facti speranda  
praemia mouent, ad rectum faciendum, obtento praemio, nul-  
lum amplius super est mouens. Hoc malum percussit Monasticae  
scholas et mutauit illas Canonicorum. Canonici imprimis secula-  
res facti, retentis praeceptorum officiorum titulis, aliis reliquerunt cu-  
ram informandi, imprimis cum nostro tempore scholarum publi-  
carum inopia non laboret patria. Statum harum scholarum, quem  
admodum ille fuit tempore Henrici II. Imp. depictum inuenies ap-  
ERANTZIVM Collegii Canoniceorum Hamberg. Decanum Metro-  
pol. l. 4. c. 2. Unovanus, Archiepiscopus Bremensis, primus omnium  
congregationes apud Ecclesias cathedrales aliasque ad Canonicam  
perduxit regulam; quae antea quidem mixta ex monachis et  
Canonicis, utraque conseruatione turbata, degebat non vigeat.  
Qua occasione fratres licentius de claustro egressi, mulierum con-  
fortia primo petebant absconse, inde in maiorem dissolutionem  
abierunt. Paulatim ergo deferuescente in clero religione, apud  
ecclesias ex monachis Regulares Canonici, et ex his seculares, ut  
nunc vocantur, canonici prodierunt. Quid autem ex hac dein-  
seps resolutione sit oriturum, quis nouerit? Interpretemur, oro,  
voca-

vocabulum. Si canon est regula, Canonici sunt regulares. Quid fiet de Canonico seculari, nisi ut regularis sit irregularis? aut, si malumus, regularis sine regula? Erat is deuotionis feruor sub sanctis patribus, ut inter fratres ipsi etiam pontifices victitant, quod de huius proximo legimus successore Libentio. Iam ventum est ad Regulares, ut Canonici dicerentur et essent: utinamque ibi perdurassent. Inferior inuentus est gradus Canonicius secularis: b. e. monstrum sine exemplo, Regularis sine regula, Canonici sine Canone. Pius zelus integerrimi CRANZII merito laudandus. Sed haec verba nostris Episcopatibus in Germania nullo modo applicari possunt. Postquam enim Imperatoribus placuit, ut Episcopi in Imperio simul essent Duces et prouinciarum Rectores, et ut canonici in regimine ipsis essent adiungendi; impossibile sane est, ut hi claustralem et scholasticam vitam viuere possent, iisque vacare negotiis, quae sunt inferiora, et quibus praeesse possunt alii priuati, maioribus rebus per agendis non impediti. Plus enim est, populum et prouinciam regere, quam scholam instruere, modo id fiat pietate et moderatione debita, ita ut etiam prouinciarum scholae per hocce regimen pie sint institutae et solite conseruatae. De Imperii Episcopatibus tantum loquor, nescio enim, an in aliis regnis haec defensio inuenire possit locum. Cacterum adhuc notandum est, quod post annum Millefinum vbiq; terrarum hae scholae omnes Monasticae et Episcopales ferme defecerint, ita tamen, ut iam ante in Gallia nimirum circa finem seculi noni et initia decimi, ob perpetua bella iaterna et Normantica essent concussae, manentibus adhuc in Germania per quoddam temporis spatium Musis, vbi etiam postea debilitatae non tamen penitus deletae, dum priorum Imperatorum instituta in quibusdam locis perennabant, ad instar rectae fidei et integritatis primaeuac, quae irruente luxu, superbia, peruerso animo et erronea opinione, nihilominus antiquitatem et puritatem conseruauit in ecclesia, quantumuis parua et etiamnum pressa.

*Cranzii verba non pertinent ad Canonicos German. hodie.*

*Scholae defuerunt.*

*Scholae in*

XI. Labefactam rem Musarum tandem restituerunt scholae in

*magnis Urbibus instituta.*

lae in urbibus instituta, ex quibus postea enatae sunt academiae secundum morem hodiernum, nam ab initio tenues erant, nullo modo nec quoad formam et studia nec dignitates, nec iurisdictionis concessionem, nostris hodiernis academijs aequiparandae. De tempore, quo ortae sint, ut aliquid dicam, necesse est, ea propter res altius repetend. Diximus paragrapho IX. quod scholae monasticae introductae fuerint in orbe Christiano saeculo quinto, sed quod in Germania demum locum inuenerint, regente rerum habenas Carolo M. Imperatore. In paragrapho X. expositum est, quod scholae Episcopales autorem habuerint sanctum Augustinum saeculo IV. circa finem; In Germania autem eundem nunquam satis laudandum Carolum Magnum Imperatorem, qui exemplo Anglorum et huius praeclarae nationis assistentia utrumque laudabile opus perfecit. Ad scholas ciuitatum quod attinet, hae suum incrementum habent, vna cum magnarum Urbium cultura. Ita iam annotatum est, quod semper fuerint scholae in vtraque vtriusque imperii sede, Romae nimirum et Constantinopoli. Sed harum urbium scholis per moti non fuerunt nostrarum Academicarum autores, ut in ciuitatibus prouinciarum potioribus, scholas erigerent, academijs hodiernarum primum fundamentum. Per singulare fatum, ciuitatum scholae in Imperio cum reliquis monasticis et episcopalibus scholis idem habent incrementum et exemplum, et eosdem Autores. Anglia enim etiam hoc in genere laudabile initium fecit, et Imperatores Francici hoc exemplum secuti, in suis regnis similes erigi curarunt. Saeculo nono Alfredus Rex, ob pietatem, eruditionem, et iustitiam celebris, Oxoniae scholam publicam erexit. Tradit hoc CAMBDENUS in *Britannia, in Oxfordshire p. m. 267.* et addit, hoc accidisse circa annum C. 886. et quidem tali modo, ut tria collegia instituisset Rex, Grammaticis, Philosophis et Theologis. In dubium hoc vocat Conringius Antiquit. acad. p. 70. sed vetustos annales allegat Cambdenus, Monasterii Wintoniae, qui talem in modum rem narrat: *Anno Dominicae incarnationis DCCC VI.*

*anno*

*Schola in Oxoniensi Ciuitate in Anglia.*



anno secundo aduentus sancti Grimaldi in Angliam incepta est Vniuersitas Oxoniae: primitus in eadem regentibus ac in schola Theologica legentibus, sanctio Neotho Abbate, nec non in Theologia Doctore egregio, et S. Grimbaldo sacrae paginae suauissimae dulcedinis excellentissimo professore; in Grammatica vero et Rhetorica regente Asserio Monacho, et in arte literatoria viro eruditissimo. In dialectica vero, et Musica et Arithmetica legente Ioanne Monacho Maenenensis Ecclesiae, in Geometria et Astronomia docente Ioanne monacho et Collega S. Grimaldi, viro acutissimi ingenii, et undecunq; doctissimo. Praesente gloriosissimo et inuictissimo Rege Aelfredo, cuius in omni ore, quos meli indulcabitur memoria. Non per omnia his subscribit Couringius, et suae dubitationis causa est, quod eo tempore collegium Theologicum non fuerit apertum. Contentae fuissent eo tempore Scholae Triuitio h. e. Grammatica, Rhetorica et Dialectica, cui accessisset Quadriuium h. e. Arithmetica, Geometria, Musica et Astronomia. Quae quodammodo constituunt septem illas artes liberales. Enim vero de schola Aulica paragrapho VIII. iam fuit demonstratum, quod illius primarius scopus fuerit Theologia, quae schola in idem tempus incidit, nescio itaque an illam contra autoritatem allegati Chronici negare possimus Angliae Oxoniensis Scholae? Caeterum ingentia incrementa et magnitudinem huius scholae circa finem seculi duodecimi, etiamsi antea destructa fuisset, videsis ap. a. Cambdenum, nam tria milia studiorum in ea numerat. Hanc scholam secuta est *Parisiensis*, quam *schola Parisiensis*. hoc respectu merito filiam Oxoniensis dixeris, etiamsi MATHAEVS PARIS in *historia Anglica*, Vniuersitatem Oxoniensem secundam a Lutetia Ecclesiae scholam appellauerit. Parisiensis schola autorem habet Carolum M. Imperatorem qui illam primus aperuit. In quo negotio vsus est assistentia Alexini Angli, viri de tota Europa immortaliter meriti. Hic instigauit Carolum Imp. qui etiam ad exemplum forsitan Oxoniensis scholae, opus perfecit circa annum C. 792. Male concordant initia scholae Oxoniensis,

fis, et Parisiensis, si hanc illius filiam vocare velimus: nam funda-  
 menta posita Oxoniensis incidunt in annum 886. ita vt Carolus  
 M. Imp. fundando scholam Parisiensem seculo octavo primus au-  
 tor huius instituti maneat. Nihilominus CONRINGIUS in Antiqui-  
 tatibus Acad. p. 69. expresse dicit, quod harum scholarum respec-  
 tu etiam prius dicendum sit de Anglia, vnde nobis ipsa illa  
 doctrinae rudimenta redierunt. Esse itaque potest, quod Oxo-  
 niac iam fuerit schola, antequam illam formam acquisierit Aca-  
 demicam, quam Cambdenus depingit, et quod Parisiensis scho-  
 la serius illam formam nacta sit, quemadmodum demonstraturi su-  
 mus. Hoc Caroli M. opus probat Arnoldus Wion L. 5. c. 59.  
 a CONRINGIO citatus. p. 77. et plurimi scriptores in hac re vna-  
 nimes inveniuntur. Huic asserto tamen obstat locus Concilii Pa-  
 risiensis sexti L. 3. cap. 12. qui sic sese habet; *Similiter obnixae  
 ac suppliciter Vestrae Celsitudini* (nimirum Ludouico Pio Imp.  
 Caroli Magni filio) *suggerimus, vt morem paternum sequentes,  
 saltem in tribus congruentissimis Imperii vestri locis, scholae  
 publicae ex vestra auctoritate fiant, vt labor patris vestri et ve-  
 ster, per incuriam, quod absit, labefactando non depereat.  
 Quoniam ex hoc facto et magna utilitas, et honor sanctae Dei  
 Ecclesiae, et vobis magnum mercedis emolumentum, et me-  
 moria sempiterna accrescit.* Mirum itaque est, quod hic non  
 mentio fiat Parisiensis scholae, a Carolo M. iam fundatae, cum  
 ipsum Concilium in hoc loco celebratum esset, quemadmo-  
 dum dubitandi argumentum ex hoc multi colligunt. Sed vero  
 argumentum est a silentio petitum satis vacillans; quin imo pro-  
 bat locus, quod Carolus Magnus tales scholas erexerit, quod  
 vnieum est, quod hic probare contendimus. Esse autem potest,  
 quod etiam Conringius agnoscit, p. 35. quod eo tempore schola  
 Parisiensis non fuerit in magno pretio, et quod neglecta fuerit, id  
 quod etiam indigitant verba; *vt labor patris vestri per incuriam,  
 quod absit, labefactando non depereat.* Agnoscit itaque Con-  
 cilium laborem Caroli, et timet ne labefactando pereat. Porro  
 ipsum

ipsum Conringium, circa initium Scholae seu Academiae Parisiensis dubium reddat sententia IO. LAVNOII, quam protulit in libello *de vera causa secessus Brunonis in eremum, Paris. 1646. et 1662. edito.* ubi asserit, *ante tempora Brunonis, seu ante finem seculi undecimi Theologiae studium Parisiis statum non fuisse.* Et plenius rem declarat LAVNOIVS in tractatu saepius laudato *de Scholis celebrioribus a Carolo M. et post illum in Occidente inflauratis.* Cuius libri notitiam Conringius nondum habuit, etiam si ipsius antiquitates academicae secunda vice A. 1674. tertia vero A. 1677. editae fuerint, nam Launoii opusculum iam A. 1672. Parisiis editum erat. In hoc eruditissimus autor, strenuus fabularum debellator, totam historiam Academiae Parisiensis plenius exponit et demonstrat, quod demum Ludouici Crassi Regis Francorum tempore, Schola Parisiensis formam academiae hodiernae induerit. a. h. e. 59. in fin. Sed haec clarius sunt exponenda. Launoius non negat, nec negare potest, quod iam olim schola quaedam fuerit in hac ciuitate, sed de ipsius origine ab antea traditis recedit, et putat, quod eius initium post Caroli M. aetatem sit quaerendum. Ob id, verba Concilii Parisiensis sub Ludouico Pio habiti, et quae iam adduximus, aliter interpretatur, nam dicit: *Quibus verbis manifestum est, in votis habuisse Caroli, ut cum pluribus in locis, tum maxime in tribus imperii scholae publicae, excitarentur.* Sed vero, verba labor pariter, si quid mei iudicii, non nudum votum indigitant, quod etiam dicendum est de verbis, *ut morem paternum sequentes,* si eniur voto tantum concepisset Carolus, erigendi scholas, filius Ludouicus, ipsius morem sequens, etiam tantum in voto substitisset, in exile solatium petentium episcoporum. Porro in dubium vocat Launoius scholam Parisiensem Imperatoris Caroli M. tempore conditam, cui addendus CLAVDIVS IOLY in erudito opere *de scholis Episcopalibus,* ob id, quia in coactis scriptoribus nullum eo tempore ibi docentem inuenerit, et quod primus, qui ab autoribus annotatus sit, incidat in Annum 882, nonneque

menque habuerit Remigii, qui Anissiodorensis monachus erat. Testimonium petit ab Odone Cluniacensi L. I. Probanda quidem est Launoii accuratio, qui fidem non habet asseris, nisi coactorum testimoniis sint corroborata, quod etiam primum fundamentum constituit veritatis historicae. Sed saepius accidit, ut sequiores autores rem notauerint solidis argumentis facti, neglectam ab antecedentibus. Ob id hac in parte sequi malumus Conringium, in antecedentibus cum suis argumentis adductum. Inficias ire nolumus, quod Parisiensis scholae diuersae sint periodi. Primo Philosophiae studium ibi tantum florebat; Clerus enim, cui commissa erat scholae cura, non ex re sui status iudicabat, theologiam jungere; Iurisprudentia autem et medicina eo tempore nondum cultam constituebant disciplinam. Quo factum, ut Rector Parisiensis ex philosophica facultate tantum eligatur, ius enim ab initio quaesitum, haec facultas reliquis facultatibus communicare noluit. vid. IO. FILESACVM *de statutis facultatis Theologicae Parisiensis.* Launojus a. l. Imprimis autem CAS. EGAS. BVLAEI *hist. Vniuersit. Paris. T. I.* Ita reliqua studia a philosophia quasi progenita sunt, non perverso, sed laudabili ordine, vera enim Philosophia omnino fundamentum est omnis eruditionis. Quam felicitatem Vniuersitas etiam nostra Altdorfina communem habet. Siquidem Philosophia diu sola stabilita erat, antequam reliquae facultates antecedentem annos plenario modo accederent, quapropter initia huius Academiae alius, quam ab anno 1623. reperi possent. Reliqua Vniuersitatis Parisiensis incrementa videri possunt ap. LAVNOIUM a. l. c. 49. art. 1. seq. Sufficit hic denno annotare, quod ab Imperatoribus haec schola fuerit exstructa, quae omnium Vniuersitatum Christiani Orbis exemplum est, ad quod fuerunt conditae.

Scholae in Germanicis Urbibus erectae.

XII. Me conuerto ad Germaniam, cuius Academiae origo examinanda mihi incumbit. Missam enim facio Ticinensem et Bononiensem Italarum scholas, quarum origo sequior

quior est, et quae nihil ad Germanicam rem literariam hoc in negotio contulerunt. Si excipere velis iurisprudentiam, et medicinam, quam etiam Parisiensis ab illis communicatam, adoptavit. Scio enim, quod aliqui sint, qui Italicis Academiis, quas iam nominauimus, primum locum assignant, sed omnibus destituuntur probationibus solidis, ita ut, Conringio iudice, Parisiensi herbam porrigere sint coacti, etiamsi Carolum M. autorem iactitent. Postquam itaque Academia Parisiensis ita studia ordinasset, ut in quatuor facultates distributa esset, omnes ad se trahere coepit, quibus de meliori luto praecordia facta erant, quorum numerus, ex illo, quod de statu huius Vniuersitatis refert GERMAIN BRICE in description nouvelle de la ville de Paris T. II. p. 43. ex Iuuenili de Visinio videri potest, et quod hic reperi meretur: *L' Vniuersité a ete autre fois si remplie d' Ecoliers, qu' on ne doit pas obmettre une chose surprenante qui arriva sous Charles VI. Ce Roy etant tombé en demence l' ou resolut de faire des processions et des prieres publiques pour sa guerison. Toutes les Compagnies et toutes les commanutes de Paris allerent processionnellement a saint Denys en France; et le Parlement comme le premier et plus illustre Corps du Royaume, cemmaença cette action de piété, enfin d' exciter les autres, par son exemple, a en faire de meme. L' Vniuersité prit aussi son jour pour y aller; et Juvenal des Ursins, Historien fidele de ce temps la, raporte qu' on obligea tous les Ecoliers a y assister avec les supôts et les membres qui en dependent. Il ajoute, qu' il s' y trouua un si grand nombre de personnes, que les premiers de la procession entroient dans l' Eglise de St. Denys, lorsque le Recteur, qui etoit le dernier, n' etoit pas encore sorti des Mathurins ou lon avoit marque le rendez vous.* Hoc accidit circa finem Seculi Decimi quarti. Tanta frequentia et inde resultans laerum respectu eruditionis, et reddituum, vtrumque enim promouent Vniuersitates, etiam Germanos vicinos insignauit, vt idem tentarent. Primum exemplum se of-

D

fert

Heidelber-



*gensis Academia.* fert in Palatinatu, vbi Rupertus I. Ruffus Elector, tantae rei primum fecit periculum. Merito assignaui Heidelbergensi Vniuersitati praecedentiam respectu primi instituti, non vero respectu solennis introductionis, qua Pragensis Vniuersitas sibi primum locum vindicat, quod in sequentibus sumus demonstraturi. Accidit autem initium Heidelbergensis Vniuersitatis Anno Millesimo trecentesimo quadragesimo sexto, etiamsi alii annum nativitatis, in anno 1348. alii in anno 1376. quaerant. Videatur *LVCAE in dem Europätschen Helicon. P. IV. c. 6. p. 36.* Optimam decisionem suppeditat Numus memorialis, quo tertium Iubilaeum celebravit ipsa Academia, ab allegato *LVCAE in dem Fürsten. Saal. P. II. c. 7. p. 537.* adducto, ibi enim haec inueniuntur verba:

D. O. M. S.

FVNDATA *clb* CCCXLVI

INTRODVCTA XVIII OCTOB. *clb* CCCXXCVI

A RVPERTO SENIORE ELECT. PAL.

Primum institutum non omnibus numeris erat perfectum, ea propter, cum interea Pragensis saum celebrasset Natalem, beneficus Elector Rupertus vltimam manum adhibuit, et ita perfecit opus, vt quoad solennem introductionem ad exemplar illius Pragensis Palatina esset composita, etiamsi quoad primam dispositionem, Parisiensem Academiam pro Matre, quin imo pro Directrice, quam sequebatur, agnosceret, quam fundamentalem legem etiam Pragensis venerabatur. Ita enim Ruperti Electoris verba se habent in Diplomate, quod dicto anno Vniuersitati concedebatur: *Vi Vniuersitas studii Heidelbergensis regatur, disponatur, et reguletur modis et materiis in Vniuersitate Parisiensi solitis obseruari, ac ut Parisiensis studii ut pedissequa vtiqam digna modis conuenientibus gressus imitetur; videlicet vt quatuor in ea sint facultates, prima sacrae Theologiae*

logiae seu diuina; *Secunda*, Juris Canonici et Ciuilis; *Tertia* Medicinæ; *Quarta* Facultas Artistarum, seu artium liberalium. Quam inter quatuor Nationes, sicut Parisiis est, volumus distingui et diuidi.

XIII. Sed nunc accingamus nos ad Pragensem Academiam, *Pragensis Vniuersitas prima solenniter in-*  
 quæ nostri instituti scopum primarium sistit. De huius funda-  
 tione scriptores inter se non conveniunt. Quidam enim putant, *roducã.*  
 quod Carolus IV. Imp., qui quidem verus huius Vniuersitatis au-  
 ctor est, illam fundauerit A. 1361, et hos seductos putat Bohus-  
 laus Balbinus a Buchholzero. Sed iam ante Bucholzerum ROLE-  
 VVINCRIUS in *Fasciculo Temporum*, originem ponit in A. 1353.  
 qui quidem propior accedit ad verum foundationis tempus; sed  
 nihilominus rem nondum tetigit. Nam allegatus BALBINVS in  
*Epitome Rer. Bobem. Lib. III. Cap. 21.* (qui autor, etiamsi sit hu-  
 ius rei primarius testis, a LVCAE in *dem Europaischen Helicon*  
*P. IV. Cap. 6. p. 375* more suo omissus est) per Literas origina-  
 les Clementis VI. Pontificis Auenione datas, quas in manibus  
 habuisse asserit, demonstrat, quod Carolus IV. hanc Academiam  
 A. 1347. publice introduxerit. Parum itaque differunt quoad  
 originem Heidelbergensi et Pragensis, ita, vt differentia tantum-  
 modo in vno anno consistat. Eapropter etiam multi Pragensi  
 prærogativam assignant. Quam etiam ipsi non nego respectu so-  
 lennis introductionis, etiamsi quoad primam dispositionem Hei-  
 delbergensi Academiae prior locus sit assignandus. Si quid mei  
 iudicii, credo, quod meditatio prima fuerit Archi-Palacino Comiti.  
 Sed cum videret, quanto ordine et quanta solennitate Carolus IV.  
 Pragensem illam introduxisset, ad huius exemplum rem denuo  
 maiori solennitate repetiit A. 1386. et suam Vniuersitatem se-  
 quiozem quoad solennem introductionem reddidit. Manebit ita-  
 que Pragensi primus locus inter Germaniac Academies, ab Impe-  
 ratore solenniter fundatas ad exemplum reliquarum omnium,  
 quotquot in Imperio inueniuntur. Notum est ex Historia, quod  
 Carolus IV. Imp. in omnibus negotiis mores sequeretur Gallicos,

utpote qui ipse in Aula Gallica innutritus erat. Eapropter con-  
 ſicere licet, quod hæc Pragenſis Academia in modum Pariſienſis,  
 quæ prima eſt totius Europæ; compoſita fuerit atque conſtructa.  
 Docent etiam hoc primi octo Profeſſores in Academia docentes,  
 qui omnes, Balbino iudice, Pariſienſis Academiae magiſtri fue-  
 runt. Pauci eo tempore in his primis Academiis omnium qua-  
 tuor Facultatum (nam Theologica etiam Facultas Pragæ inue-  
 niebatur, quam Pontifex poſtea multis aliis Vniuerſitatibus, inter  
 quas Vindobonenſi, negauit) erant Profeſſores. In Heidelber-  
 genſi Academia poſt ſolennem introductionem, 1386. cele-  
 bratam, tantum tres numerabantur Profeſſores, vsque dum ex  
 Pragenſi duo adhuc ibi creati Doctores euocarentur. vid. *TOLNE-  
 XVM in Codice Diplomatico Palatino pag. 123. in notis.* Ex quo  
 etiam conſicere licet, quod Pragenſis Academia melius inſtructa  
 et ordinata incrementa dederit Palatinae, et quod ipſa Palatina  
 Vniuerſitas autoritate Imperatoria fuerit confirmata. Etenim,  
 dum Imperator conceſſit, ut ex ſua Vniuerſitate in alteram trans-  
 irent Doctores, hæc vel expreſſe vel tacite ſua Imperatoria confir-  
 matione dignatus eſt.

XIV. Hic ſubſiſtere poſſem, nam ſufficenter demonſtrauit,  
 quod Imperatores non tantummodo primarum Scholarum, ſed  
 etiam Academiarum in Imperio Romano Germanico primi auto-  
 res fuerint. Enim vero, quia Pragenſi Academiae primum assignauit  
 locum, neceſſum eſt, ut remoueam dubium et ſolaam, quod qui-  
 dam concipiunt circa Vindobonenſem Academiam. Inter quos  
*LYCAB in dem Europäiſchen Helicon Part IV. Cap. VI.* huius Aca-  
 demiae prima initia ponit in A. 1235. Is autorem facit *Fridericum II. Imperatorem.* In hunc finem allegat *CRYSIVM in Annal. Suenicis Lib. II. Cap. II.* qui Diploma *Fridericianum*, eo anno datum proferit, in quo Imperator permittit, quod in hac Academia quatuor debeant eſſe Facultates. Concordat quidem hoc cum tempore introductarum quatuor Facultatum. Nam *LAV-  
 NOTVS*, quem ſæpius allegauimus, demonſtrat, quod illæ *Lu-  
 tectiae*

*Vienneſis v-*  
*uierſitas an a*  
*Fridericio II.*  
*Imp. fundata?*



teriae Parisi tempore Ludonici VI. seu Crassi fuerint introductae: quod accidit in Seculo duodecimo. Nam diem obiit hic Rex 1137. Sed vero se decipi passus est Lucae, utpote qui prouidus in eligendis Historicis, quorum fidem sequitur, non adeo fuit. Nam LAMBECIUS, celeberrimus ille et accuratissimus Polyhistor, in *Comment. Bibliothecae Vindobonensis Lib. I. Cap. 5* aliud demonstrat: *Perperam*, dicens, *Valgo creditur, Vindobonensem Academiam primam foundationem suae originis debere Friderico II. Imperatori.* Nam, quamuis ex *Diplomate Imperatorio Ciuitati concesso*, quod apud *Lazium inuenitur*, haud obscure constat, urbem *Vindobonam iam memorato anno aperiendam scholae licentiam ab Imperatoria Maestate impetrasse*: Verba tamen illa adeo obscura sunt, ut nihil certi, Academiam aliquam respicientis, ex illis colligere liceat: ut quidem uolunt allegari *Lazium et Ederus in Catalogo Rectorum Vniuersitatis Viennensis. Falsum hoc esse*, liquet tum ex *Diplomate Urbani V. Pontificis, quo villae VViennensi A. 1356. generale studium omnium Facultatum licitarum, praeterquam Theologiae, concessum est*; tum etiam ex *litteris Urbani VI. Pontificis, quibus villae Viennensi A. 1384. generalis studium in Theologica Facultate indulsit*. Quin etiam ipse Imperator *Fridericus II. pravae istius verborum suorum explanationi reclamatione, dum expresse testatur, se non aliquod studium generale omnium Facultatum intelligi uelle, sed tale tantum, quo rudis aetas instruitur paruorum, et prudentia doceretur in populis.* Qui doctissimi Viri *Lambecii locus egregie vindicat Praegensi Academiae primum inter Academas, ut ita loquar, formales, locum.* De qua re meam sententiam in *Parte II. vberius sum dicurus.*

XV. Ab hoc tempore creuit numerus Scholarum et Academicarum in Germania tum in modum, ut exteri putent, quod hic numerus plus iusto maior sit. Dicunt enim, quod triuales Scholae in meliorem ordinem, nimirum ad Latinam et Graecam linguam redigi debeant, quod Gymnasia nullum praestent usum,

*Quorundam desiderium de Scholis, Gymnasis et Academicis.*

et quod Academiae reformatione quadam indigeant. Editus est haud ita pridem in hunc finem libellus in Belgio, cui titulus: *Germania milite destituta, et Literatis ceu sua mole laborans.*

*Academiae Equestris,*

Accessit nostro tempore aliud genus Academiae, nimirum Academiae Equestriae, quae in Italia orae per Galliam ad nos transferuat, id quod factam circa initium seculi decimi septimi. Nam *Johann Jacob von Wallhausen* edidit A. 1616. zu *Augspurg* in 4<sup>o</sup> Programma Scholae Militaris, wegen einer neuen *Kriegs- und Ritter-Schule, so zu Siegen in der Graffschaft Nassau* würde angehen. Quae quidem Academiae Equestres sine fructu separatum eriguntur, et maiori emolumento inunguntur Academicis, modo magistri exercitiorum honoratioris habitus fuerint. Forsitan harum Academiae vestigium inuenimus in Schola Equitum et peditum l. 6. C. de *Aduoc. diuers. iud.* & in vndecim Scholis militum l. ult. C. de *locat.* Sed hae Academiae Equestres non pertinent ad Priuilegia Caesarea, eapropter ad Vniuersitates reuertor.

*Traditio de Maximiliani I. mandato, ut quibus Electorum in suis prouinciis erigeret Academiae.*

*ad examen vocatur et refertur.*

Occurrit adhuc factum historicum considerandum, ex quo plurimi probare sagunt, quod tempore Maximiliani I. quasi per legem Caesaream Electoribus fuerit impositum, ut quibus eorum erigeret Vniuersitatem. Id quod factum esse confirmant in Comitibus Wormaticensibus A. 1495. habitis. Res sane notatu digna, per quam demonstrari potest incertitudo historica. Omnes huius temporis grauissimi scriptores hoc factum affirmant, et credunt, quod virtute huius Caesarei mandati erecta fuerit a Saxone VVirebergensis, a Brandeburgo Francofurtensis Academia. Horum praecipui sunt *BOECLERVS fol. 275. in Commentariis de Rebus Se- culi XVI.* *LAMBECIUS in Comment. de Bibl. Caesar. Lib. I. fol. 31.* *DN. LVDVIG in Dissert. de Differentiis Iuris Romani et Germanici pag. 62.* *SENNERT in Athen. VVireberg. Lib. I. Cap. I.* *LVCAEIM Europaischen Helicon pag. 546.* qui vltimus, etiam si sit membrum Collegii Imperialis Historici, parum sollicitus est, ex quo fonte suas probationes hauriat. Mirum autem est, quod *Lambecius*, scriptor acque doctissimus ac sagacissimus, alle-

allegato loco adeo audacter de hac re loquatur: *Cum Maximilianus I. 1495. in Comitibus VVormatiae celebratis sapientissime decreuisset, vt VII viri Elect. in sua quisque ditione publicas scholas institueret, praecipua deinceps cura ipsius fuit, vt MStorum Codic. libraria supellex cum aliis impressis libris informam iustae Bibliothecae redigerentur.* Sed consideremus rem ab ovo, et videbimus, cuius sit valoris. Triplicis generis scriptores tantum in hac re conueniens testimonium perhibere possunt: coaevi Scriptores Maximiliani Imperatoris: coaevi Scriptores Saxonici, et tandem illi, qui horum Comitiorum Acta ediderunt. Possem etiam reliquorum Electorum Scriptores allegare; sed perpauci sunt, et potior pars est a parte Saxonis. Imperatoris Maximiliani Historici factum hoc silent omnes. Cuspinianus tantum et Lazius demonstrant, quod Maximilianus I. virorum sui temporis forissimus, studia enauerit pari animi propensione. Ad Saxonicos autem Historicos quod attinet, hoc opus. Vetusiores nullam de hac re mentionem faciunt, e. g. FAVST in dem *Sächsischen Stamm-Baum*; SPALATINVS in *Chronico Saxon.* Primus, qui rem incertam narrat, est CHYTRAEVS in *Continuat. Vandaliae et Saxoniae Alberti Kranzii, edita VVitebergae 1586. pag. 102.* his verbis: *Fridericus, Saxoniae Elector, VVitebergensem Academiam instituit instictu Maximiliani Imperatoris, qui omnium liberalium artium, ac praecipue historiarum studia, in Germania excitauit. Et aliquoties in Comitibus Electores hortatus erat, vt singuli in suis ditionibus Academiam conderent.* Nihil autem dicit de Decreto Comitali, quod publicatum fuisse in Comitibus A. 1495. VVormatiae celebratis. Hic ipse Chytraeus paulo post edidit *Chronicon Saxoniae*, vbi se corrigens tantum his verbis vtitur p. in. 52: *Fridericus III. Elector Saxoniae in Comitibus Augustanis A. 1500. consilia Maximiliani, de salute publica excubantis aliuuuit et VVitebergensem Academiam fundauit.* Sine dubio correctus fuit autoritate PEVCERI in *Chronico Carionis* p. 689. quod editum est anno 1572. vbi Ing. nuus Historicus Saxonicus

tali modo de erectione Saxonicae et Brandenburgicae Vniuersitatis loquitur: *Resflorescentium in Academia Viennensi studiorum celebritate, moti Electores duo Fridericus Saxo, cognomento Sapiens et Ioachimus Brandenburgicus, cum recte iudicarent, veriora et maiora communis vitae ornamenta esse Literarum et artium propagationem, leges, disciplinam, in suis ipsi quoque dititionibus scholas instituerunt.* Tandem recoxit i. l. indatam traditionem MATTHIAS DRESSERVS in *Sagog. Histor. Millenar. Sext. pag. 431.* quod opus editum est 1594. his verbis; *Maximilianus non solum ipse Literas, earumque cultores amauit, sed aliis etiam principibus Saxoniae et Marchiae auctor ad instituendas Academias in suis dititionibus exiitit.* A quo tempore res ultra serpsit, inprimis, cum eruditissimus Chronologus, CALVISIUS, premens vestigia Dresseri, in *Chronologia sub A. 1495.* errorem de quo confirmasset. Sed conuertamus nos ad ipsa *Acta Comitiorum VVormatiensium A. 1495.* Horum scriptores duos inuenimus grauissimos. Primus est Joh. PHILIPP. DATT in eruditissimo opere de *Pace Imperii Publica Lib. III. Cap. 12. Num. 122. p. 618.* quod totum opus ex Actis Comitiorum et tabulis publicis conscriptum est. Hic factum quidem affirmat, sed tantummodo Lambecii et Boecleri autoritate, et adiicit: *Acta Comitiorum nostra nihil quidem horum habent.* Secundus, qui de his Comitiorum Acta edidit plenaria, est indefessus Rerum Germanicarum indagator IOH. IOACH. MÜLLER, in dem *Reichs-Tag's-Theatro unter Kayser Maximiliano I. im ersten Theile in der andern Vorstellung Cap. 45. S. 3. pag. 463.* Vbi quidem memorat, quod hic adiciendum aliquid esset de Decretis Comitiorum: quod singuli Electores alere deberent Academiam, et adducit in hunc finem auctores graues nostri temporis, qui id affirmant, sed adiicit: In Actis Comitiorum istud zwar davon nichts enthalten; *Wiewohl gewiß, daß bald hernach, und zwar 1502. Churfürst Friedrich zu Sachsen, die Academie zu Wittenberg, und A. 1506. Churf. Ioachim I. zu Brandenburg die Academie zu Frankfurt*

**Frankfurth an der Oder**, hortatu Maximiliani I. erigret.  
 Quae vltima verba desumpta sunt ex iam allegato loco Datii.  
 Sed nunc ad oculum demonstrabo, quod Fridericus III. Sapiens  
 dictus, Elector Saxoniae, iam ante regimen Maximiliani I. in mente  
 habuerit, erigere Academiam in suis Provinciis. Condidit enim,  
 cum iter Hierosolymitanum meditaretur, testamentum suum,  
 quae tabulae signatae sunt Torgaviae die Martis post Lactare A.  
 1493. uiuo adhuc Friderico III. seu V. Imperatore, qui mortuus  
 est decimo nono Augusti 1493. quinto seu sexto post conditum  
 hoc testamentum Mense. Invenitur autem testamentum in GEOR-  
 GII FABRICII *Historia Saxonica* secundae editionis, quam edidit  
 Iacobus Fabricius, filius, et quam vocat Saxoniam Illustratam,  
 (Nam in prima editione, quam edidit Reusnerus sub titulo: *Ori-*  
*gines Illust. Stirpis Saxonicae* deficiunt ultimi duo Libri) Lib.  
 VIII. pag. 9. vbi haec notabilia verba: *Praeterea constituimus,*  
*ordinamus, ac legamus ducentos ac decem aureos Rhenanos, simi-*  
*li modo de certa pecunia fidis hominibus foenori data, annuatim*  
*exigendos, vt de istis sex pauperes scholares, in Academiis Li-*  
*psiensiac Erfurdiana, per septennium liberalissime ali. et susten-*  
*tari possint, cum in nostris et fratris nostri dilecti territoriis*  
*adhuc nulla sit fundata Academia, cuiuslibet autem studioso nu-*  
*merantur quotannis 35. aurei. Academia autem progressu tem-*  
*poris nostris in ditioibus tandem aperta, reuocandos eos esse in*  
*eandem, ac alendos ibidem ad summum per biennium, statui-*  
*mus.* Paulo post pag. 12. Fabricius loquitur de Comitibus VVor-  
 matiensibus, nihil autem dicit nec de Consilio, nec de Decreto  
 comit. Maximiliani, ad quod prouocant autores superius allegati.  
 Tandem etiam de introductione Academiae Witebergensis loqui-  
 tur, eadem his omiſſis. Fluit autem ex verbis huius Testamen-  
 ti, et in primis ex sequentibus: *Academia autem progressu tempo-*  
*ris nostris in ditioibus tandem aperta,* quod iam firmiter sta-  
 tuerit, erigere Academiam. Antequam missum hoc facio, ne-  
 cessum est, vt remoueam Brandeburgici Historici cuiusdam tra-  
 dita,

dita, quae satis sunt speciosa. Primo quidem notandum, quod horum antiquissimi de hoc Decreto et Consilio Comiciali iidem nihil dicant. ANDREAS ANGELVS in *Annalibus Brandenburg.* qui impressi sunt circa finem Seculi XVI. Lib. III. pag. 265. multa verbum fert de Fundatione Vniuersitatis Francofurtensis, sed ne verbum quidem de hoc Decreto, addit tantum, quod priuilegia Caesarea concessa fuerint Anno 1500. Grauis Historiac Brandenburgicae Scriptor IOHANNES CERNITVS in *Historia Electorum Brandenburgensium* sub Iohanne Electore p. 45. ita loquitur: *Hic Iohannes Elector sollicitus quoque fuit de instituenda Academia Francofurtana. Cuius rei non contemnenda praeparatoria cum Licentia concessa sibi ab Alexandro VI. Pontificatus sui anno VI. XV. Calend. Ian. instituit circa annum Christi 1498. Et pag. 49. sub Ioachimo I. Electore, ita verba facit: Quod Pater Iohannes meditatus fuerat, illud, vt quam optime perficeretur, Ioachimus vnice operam dedit. Academiam nimirum primis Electoratus sui anni Francofurti ad Viadrum, impetratis ad id Maximiliano Imperatoris priuilegiis, solempni ritu introduxit. Nihilominus BECMANNVS in Memorandis Francofurtanis seu Notitia huius Vniuersitatis, 1676. edita, a multitudine sequiorum historicorum victus, pag. 2. ita loquitur: Initia sua Vniuersitas nostra Ioachimo I. Electori Brandenburgico debet. Ex quo A. 1495. Maximiliano I. Imperatori in Comitibus VVormatiensibus placuerat vt Septemuiratim quisque in ditione sua Academiam institueret. Sed erroneae opinioni pondus grauissimum adiciere videtur Historicus Brandenburgicus alias iudatissimus, IO. VVOLFG. RENTSCH in dem Brandenburgischen Cedern-Hayne p. 438. Profertibi Orationem, quam Iohannes Elector Brandenburgensis moriens ad filium Ioachimum habuit: zu diesem bitte ich Euch, ihr wollest an einem wohlgelegenen Ort eine Vniuersität aufrichten, in welcher die Jugend wohl unterwiesen, und zu guten Sitten und Künsten angeführet werde. Mein seel Herr Vater hatte mir gleichen Befehl hinterlassen. Allein die Kriegs-*

Kriegs-Unruhe, die überhäufte Geschäfte, die kränkliche Leibes-Beschaffenheit, und der frühzeitige Tod, haben mich an Erfüllung gehindert. Ihr werdet hierdurch Gottes, und Eure eigene Ehre befördern, und euren Landen grossen Nutzen schaffen. Vergesst dieses ja nicht mein Prinz! Es ist ein Kayserl. Befehl, und im jüngsten Reichs-Schluss gesehen worden, daß die Churfürsten in ihren Landē sollen hohe Schulen aufrichten. Sed tota haec oratio fictitia est, et eiusdem farinae, ac reliquae Orationes historicae omnes, iam diu a cordatioribus damnatae. Allegatus Iohannes Cernicius dicit in Vita Ioh. Electoris: *Ioachimum filium Ioannem morientem admonuisse, ut Deum ante omnia coleret, Iustitiae et beneficentiae studeret, subditos a potentioribus oppressos vindicaret, nec nimis indulgeret licentiae Nobilitatis.* Hæc verba amplificauit Rentschius et Orationem morientis finxit. Enim vero se ipsum oblitus est, et dum agit Oratorem Historici accuratorem perdit: Nam dicit: **Ich bitte Euch, Ihr wollet an einem wohlgelegnem Orte eine Vniuersität aufrichten.** Cur de incerto loco hic loquitur? Nam iam posuerat p. 429. accepisse Iohannem Electorem 1498. priuilegium ab Alexandro VI. Pontif. de erigenda Vniuersitate Francosurti ad Viadrum. Porro dicit: **Es ist ein Kayserl. Befehl, und im jüngsten Reichs-Schlusse gesehen worden.** Nouissima Comitia respectu morientis Electoris non sunt Comitia VVormatiensia de A. 1495., sed Comitia de A. 1497. Friburgi celebrata, de quibus etiamnum nobis restat Recessus. Vid. etiam FABRICIVM in *Origgg. Saxonici Lib. VII. pag. 336.* Mortuus autem est Elector Iohannes 1499. Ita rem consideravi secundum Historicorum et Documentorum auctoritatem. Potest esse, quod Maximilianus I., studiorum amans Imperator, in Colloquiis priuatis Electoribus suasor fuerit de erigendis Academiis. Sed hoc omni destituitur probatione Historica.

PARS SECVNDA.  
DE IMPERATORIS IVRIBVS CIRCA  
ACADEMIAS IN SPECIE.

*Imp. Romani ab initio academiis privilegiis concesserunt.*

**D**Vm in antecedentibus demonstraui-  
mus soli primas scholas in Germania erexerint, demonstraui-  
mus simul, quod ius habuerint, erigendi scholas, quam po-  
testatem nunquam amiserunt: quinimo dicendum est, quod ante  
Carolus M. et post illa tempora, in haud interrupta huius iuris  
possessione fuerint, quicquid etiam postea de Pontificis confirma-  
tionibus dici potest, quae tanquam accessorium super suum conside-  
rari possunt. Probat hoc Collegia eruditorum a vetustissimis Im-  
peratoribus erecta et confirmata, et priuilegia iis concessa. No-  
lo immorari Legibus de his rebus latis e. g. *L. 1. Codic. Theodos. de Stud. Liberalib. Urbis Romae et Constantinopolis L. vn. C. de Stud. Liberalib. Urbis Rom. lib. 11. tit. 18. Tot. Tit. C. de Prof. et Medicis. L. 10. 1. 15. Auth. Habita. C. Ne filius pro patre.*  
Haec omnia omnibus nota sunt, quam quae notissima. Attamen  
Collegia Iurisconsultorum consideratione digna sunt, quae in pri-  
mis Iustiniani Imperatoris tempore Imperatoria autoritate florue-  
runt, et quibus summi viri eo tempore praeerant, qui omnes  
vocabantur *Antecessores*. Fuerunt autem tria haec Collegia. Et  
*MENAGIVS in Menagianis Part. II. p. 292. primae editionis pu-  
tat, quod tempore Iustiniani in tribus locis octo fuerint Antecessores Iuris: Romae duo, duo Constantinopoli, et Beryti Phenitiorum quatuor.* Memorantur hi Antecessores seu Professores Iuris non tantum in Inscriptione Prooemii Digestorum, sed etiam in illa ipsa Imperatoria Epistola Prooemiali, nec non *L. 2. C. de Veter. Iur. Enuch.* Et omnes hi Professores Iuris vocantur *Antecessores* a praecedendo Discipulis, dum iura docent. Ita *VI TORNEBIVS Lib. VIII. Diuers. Cap. 19.* putet, quod omnes, qui ius tradunt, sint vocandi *Antecessores*, etiamsi non sint Professores  
Acade-

*Antecessorum Collegia, et qui antecessores vocandi?*



Academici. In quam sententiam etiam descendit GE. CHRIST. VVALTHER *de Statu, Iuribus, et Privilegiis Doctorum* Cap. XI. pag. 152. qui dicit, quod Antecessor et Doctor Iuris sint Synonyma. In Gallia id in omnibus Vniuersitatibus communiter receptum est, quapropter saepius legimus: Facultas Antecessorum, loco Facultas Iuridica. Et CAR. ANNIBAL FABROTTVS se uocauit in suis operibus Antecessorum A qui Sextiensium Decanum; idem etiam obseruatur in Academiis Germaniae. Errant itaque et suam ignorantiam produnt, qui putant, quod nomen Antecessoris non omnibus professoribus Iuris competat. Sed ex diuerticulo in viam. Continuata fuit Romanorum Imperatorum Potestas, Academias constituendi et scholas maiores ab Imperatoribus Romano-Germanicis. Fridericus Imperator non tantummodo in Italia hoc Ius exercuit, sed etiam in Germania: nam istud priuilegium, quod Vindobonae de schola erigenda largitus est, sine dubio respicit scholam maiorem, etiamsi haec schola non sitaequiparanda nostris Academiis hodiernis, et nunquam fuerit erecta. Nam quid opus fuisset Imperatoris privilegio et concessione, nisi negotium subsuisset maioris momenti? Scholam autem minorem quaeuis ciuitas Episcopi directione erigere potuit. Aequiparare mihi hoc liceat cum hodiernis Gymnasiis penes Evangelicos, quae Vniuersitates quidem non sunt, sed saepius priuilegiis Caesareis sunt munita. Eapropter etiam in Ordine Taxationis Cancellariae Imperialis Taxa differens est Vniuersitatis et Gymnasilii: nam vniuersitatis erectio taxatur 2000. floren. simpliciter Gymnasii erectio 1000. floren.

II. Antequam ulterius procedo, in demonstratione iurium Imperatoris circa Academias inquirendum, cur per aliquod temporis spatium, per confirmationes Pontificum Rom. Academiis concessas, illa quasi interrupta videantur. Inuenimus enim, quod ab initio plus fuerint solliciti Germani de adipiscendo priuilegio Pontificio, cum animus ipsis erat, erigendi Vniuersitatem, quam de priuilegio Caesareo. Sed cuius in oculos incurrit, quod hoc fa-

*Cur Pontificias confirmationes Academias quaedam habeant.*

crum sit tres ob causas, nimirum ob Facultatem docendi Theologiam, et ob Ius Canonicum; tandem etiam, quia videbant, quod omnes scholae pertinerent ad Legem Dioecesanam. Etiam si interdum non concesserant privilegium Facultatis Theologicae; attamen ob reliquas rationes Pontificum Bullae necessariae videbantur. In antecedentibus vidimus, quod Viennensi Academia Facultas Theologica ab initio fuerit negata, et de Pragensi Academia verba repetere iuvat *BALBINI in Epitom. Rer. Bohem. Lib.*

*Theologica  
Facultas qui-  
cundam Aca-  
demias negata,*

*III. Cap. 21. pag. 359. Certum est, Theologicas etiam scientias praeter Iurisprudentiam ac Medicinam Pragae institutas fuisse, quod plurimis aliis Academicis constat paulo post fuisse a Pontificibus negatum. Tales autem Vniuersitates carentes Theologica Facultate nihilominus erant quoad reliquas Facultates plenaria corpora: quemadmodum etiam hoc dicendum erat de Vniuersitate Altdorfina, quae ab initio caruit Theologica Facultate et quidem ob rationes status istius temporis: nam in Ferdinandi II. Imperatoris tempora incidit huius Academiae erectio, cui omne exosum erat, quod non a partibus erat Catholicae Religionis: quin imo verba priuilegii ostendunt, quod ipse Imperator noluerit plures facultates concedere: Praeterea in vim motus proprii, ad Medicinae et Iurisprudentiae facultates, nec non in potestatem Licentiam creandi Poetas Laureatos extendimus;*

*Quinta facultas*

*quod vltimum iam ab aliis erudite fuit obseruatum. Nihilominus accepit eo tempore Academia nostra quatuor Facultates: nam Facultas Poëtica recta habetur pro Facultate: id quod pluribus iisque doctissimis argumentis, de monstrat Famigeratissimus Ictus ZIEGLERVS in Exercitat. de Iure erigendi Academiae §. 35. & seqq. Caeterum merito illi ridentur, qui in sulsa scommata, quae malitia simul et ignorantia suppeditant, de omissione Facultatis Theologicae in Academia Altdorfina proferunt. Maiori vituperio digni sunt illi maleuoli, qui non solum Vniuersitatem, sed etiam ipsam Illustram Rempublicam rerum nunquam peractarum incusant. Prodiit haud ita pridem *Theaurus Anti-**

*Locus in The-  
saurio Italico  
notatur.*

*quita-*

quitatum et Historiarum Italiae, cura Celeberrimi BVRMANNI in cuius Tomi V. Part. II, et III. Splendor Vrbs Venet. exhibetur, quod opus compositum est ex Libro Italico, cui titulus: *Il Ritratto ouero le cose piu' notabili di Venezia*: nec non ex Sansouini et Martinioni scriptus. Dum Palatium Ducis depingitur, exhibentur etiam tabulae pictae, quae illud exornant. Inter has pag. 295, producitur pictura, quae his verbis explicatur: *In alia videtur Ciuitas Norimbergh, quae renuens obedientiam praestare Maximiliano Imperatori, ac in libertate constituta, legis ac regiminis regulas per Legatos a Duce ac Senatu petiit.* Quae omnia per atram calumniam sunt ficta et expressa. Si singulis Statibus Imperii encomium quoddam esset addendum, vt Itali solent, sine dubio vocaretur Illustris Norimbergensis Respublica Imperatori et Imperio Fidelis. In primis autem sub Maximiliano I. Imperatore propter officia et fidelitatem, Caesaris promeruit gratiam et Imperii approbationem, quod tanquam notissimum hic prolixius explicare, superfedeo. Male autem concordant haec verba cum epistola scripta a Senatu Veneto ad Senatum Norenb. quam exhibet PIRKHEIMERVS in operibus p. 197. vbi sequentia inueniuntur: *Vos igitur, qui semper antiqua benevolentia nobis coniuncti fuistis, nostram quae so causam agite apud Caesarem Maximilianum, vt vestra opera ipso conciliato, nobiscum vos rebus nestris omnibus vti possitis.* Tota autem fabula, quae hic narratur, respicit Leges Tutelares, quas tantum, non autem reliquas Reipublicae Leges, Rempublicam Nürembergensem a Republica Veneta per Legatos tempore Maximiliani I. Imperatoris petiisse, quidam volunt. Sed Illustris Respublica has Leges non per legatos petiit, sed tantummodo per literas, quas Norimbergenses Mercatores in Vrbe Veneta commemorantes Senatui tradiderunt. Vt tempori inseruiamus, remittimus Lectorem ad Fastos Vniuersitatis Altdorffinae A. 1721. et 1722. pag. 209. seqq. vbi tota historia harum legum exhibita est.

III. Sed illuc redeundum, ubi solum abruptum. Si solide videre velimus, an Pontifex Romanus, etiam ex sententia Catholicorum

An Ius consti-  
tuendi Acade-  
miam ad spiri-  
tualia perti-  
neat? II

licorum confirmare possit Academias, prius perpendendum est, an Ius constituendi Academias ad spiritualia pertineat? Ad quam quaestionem cum allegato ZIEGLERO *de Iure erigendi Academias* §. 10. merito respondemus: quod negotium mixtum sit, continens quaedam spiritualia, plurima autem, quae statum publicum et secularem respiciunt: eapropter magis ad secularem potestatem summam pertinet, quam ad Ecclesiasticam. Posito etiam, quod Ecclesiastica res mera esse; ab eius tamen dispositione plenaria non essent excludendi Imperator et Reges: Nam sic se habet, quem admodum negotium matrimoniorum. Hoc Ecclesiasticum esse, non tantum plurimi Catholici contendunt, sed in illud potestatem soli Pontifici priuatiue adscribunt. Nihilominus Celeberrimus IOH LAVNOIS, Catholicae Religionis addictus Scriptor, in Tract. *de Regia in matrimonium potestate* clare deduxit, quod Imperatores et Reges in matrimonia ciuium omnem potestatem olim habuerint, et etiamnum habeant. Secundo consideranda venit quaestio: An Academia constituta, sit corpus Ecclesiasticum ex mente Catholicorum. Hic abeunt in partes huic religioni addicti. Quidam enim contendunt, quod pertineat ad Legem Dioecesanam, et Episcopis sit subiecta. Galli autem longe aliter sentiunt. Nam ut Rex habeat Corpus Ecclesiasticum sub sua potestate, pugnans pro Regia autoritate contra Pontificem, pronunciauit suprema Curia Parisiensis A. 1573, quod Academia pro Corpore seculari esset habenda. Vid. ITTERVS *de Grad. Academ. Cap. V. §. 6. pag. 123.* et ibi allegatos. Nullo modo autem subscribo, quando hoc extendunt ad Euangelicas Academias: ibi enim cessat ratio decidendi penes Gallos, et repugnat omni experientiae. Nam Consistoriis supremis penes illos sunt associatae et certo modo iis subiectae. Vid. CARPZOV. *in Iurisprud. Confister. Lib. III. Defin. 12.* Itaque, etiamsi plurimae Vniuersitates a Pontifice solo confirmatae videantur; tamen hoc non obstat, quo minus Imperatori soli competat Ius erigendi Academias. Nam Pontificis confirmatio respicit tantummodo dogmata et fidem Catholicam:

An Academia  
sit corpus eccle-  
siasticum?

licam: Imperator autem solus dignitates conferendi potestatem tribuit, et totam substantiam rei. Recte sentit de hac re MVLZIVS in *Repraesent. Maiest. Imper. Part. II. Cap. 23. §. 4. p. 139*: *Ex mente Augustanae Confessioni adhaerentium dicitur, hoc Ius Pontifici ex Imperatorum libertate competere, eumque Academias erigere non iure proprio, sed per Imperatoris concessionem et conuentionem, quae non praesumitur in detrimentum Imperii facta plenarie; quis enim crederet, Imperatores iura Imperii dilapidare voluisse? sed ut Pontifex in eo vicariam operam praestaret.* Accedit etiam hoc, quod Imperatoris consensus semper fuerit adiectus vel expresse, vel tacite. Valet enim hic regula ICororum: Dum conuinet Imperator, et fieri permittit, quod impedire poterat, consensisse videtur. arg. l. 63. §. *Scientibus. ff. de re iudic.* EVLV. PACHIANVS de *Probat. l. 1. c. 29. 30.* MENOCH. 6. *praesumpt.* 99. ROSENTHAL. de *Feud. c. 9. concl. 77. n. 6. 7. 8.* HARTM. PISTOR. *part. 2. qu. 7. n. 3. 4.* VINCENT. CAROCC. de *Locat. part. 2. qu. 35. n. 38.* CARPZOV. *L. 6. Respons. 101.* RHEINK. de *Retract. qu. 2. n. 202. seq.* Posset etiam Imperator a solo Pontifice data priuilegia reuocare: nam ex sententia legati ZIEGLERI de *Iur. erigendi Academ. §. 9.* Priuilegia a Pontifice Academicis concessa summi Principis subiaceant Imperio, ita, ut vel approbare eadem, vel reuocare pro re nata possit. Quod reliquam est, dum corporibus ecclesiasticis penes Protestantes Vniuersitates sunt annumerandae, in constituendis officiis huius corporis, et distribuendis honoribus eadem conscientia procedendum, ac in officiorum ecclesiasticorum ordinatione, imprimis cum in priuilegijs Caesaris haec clausula inueniatur: IN QVO CONSCIEN TIAS DISTRIBVENTIVM ONERARE VOLVMS.

IV. Nunc me iterum conuerto ad Imperatoris summam concedendi Academicis priuilegia potestatem, de quibus recte asserimus, quod illorum perpetui ac soli fuerint Largitores. De Italia nihil dicam: nam quod antiquissimae Academiae ibi a solis Imperatoribus etiam a tempore reuiuiscendis Iurisprudentiae fuerint

*Omnis Academiae auctoritate Imperatoris corroboratae.*

fundatae, notum est omnibus, et luculenter demonstravit CON-  
 RINGIVS in *Antiquitatibus Academ.* Mihi incumbit, ut ea,  
 quae in Germania respectu Sacrum Imperii Iurium obseruata sunt,  
 demonstrem. Academiam Pragensem auctoritate Imperatoria  
 corroboratam esse, nullus dubitat: Idem dicendum de Heidel-  
 bergensi Academia. Mihi quidem non licuit, omnium sequen-  
 tium Academiaeum foundationes perlustrare: sed plane nullus du-  
 bito, quin omnes vel expressam vel tacitam ex facto collectam  
 approbationem habeant Imperatoris. Dimidio seculo post Pra-  
 gae conditam Academiam, inuenio Ruperi Imperatoris confirma-  
 tionem Academiae Lipsiensis, Pisae in Italia datam, apud MILLE-  
 RVM in *Annal. Saxon. sub A. 1409. pag. 5.* Sed quid opus est  
 exemplis? Habemus Legem omni exceptione maiorem, quae  
 hic peculiari studio meretur notari. In privilegio, quod Maxi-  
 milianus I. Friderico III. Sapienti, Electori Saxoniae, anno Christi  
 1502. concessit de erigenda Academia VVitebergensi, haec sin-  
 gularia et omni attentione digna verba inueniuntur: OMNIVM  
 SCIENTIARVM TUTE LA ET PATROCINIVM PENES ROMANI IMPERII  
 MODERATORES CONSTITIT. GYMNASIA VNDIQUE IN AGRO ROMANO  
 IMPERIO INSTITVERVNT ET EXERVNT: NOS ITAQVE PRAEDECES-  
 SORVM NOSTORVM VESTIGIA IMITAMVR. Exhibet hoc privilegium  
 GOTTFR. SYEVVS, Cod. Prof. in Academia VVitebergensi, in  
 Tractatu, quem vocat *Academia VVitebergensis, ab A. 1520.*  
*ad A. 1655. ab initio.* Vidimus in his verbis, quod omnis stu-  
 diorum cura et tutela ad solum Imperatorem pertineat, et quod  
 Imperatores Academias vndique, h. e. omnes, erexerint. Sed re-  
 gis: Diploma est, non Lex. Respondeo: Datum est Diplo-  
 ma a Caesare qui leges ferre potest, et agnitum pro Lege a ma-  
 gno Imperii Electore, qui, si Leges ferendae, consentire debet.  
 V. Competit itaque ius, erigendi Academias in Imperio Cae-  
 sari, summo rerum moderatori, et quidem ita priuatiue, ut per  
 referentium habeat, quod partem integram Maiestatis consti-  
 tuit. Connexionem habet haec potestas cum potestate dignita-  
 res

*Imperatoris soli  
 competit haec  
 potestas.*

*Imperat. Vnde  
 potestas. Aca-  
 demias erigen-  
 di fuit ex Ma-  
 iestate summa.*

tes conferendi, quam Imperator sibi semper retinuit integram. Dum itaque dignitates distribuuntur in Academiis, impossibile est, ut illae valere possint sine Imperatoris, omnium dignitatum fontis, concessione. Cum a Statibus Foederatis Leydenfis Academia erigeretur, in scio Imperatore, hunc actum nullum declarauit Rudolphus II. quia eo tempore pro Libera Republica nondum esset declarata. Vid. BAVDIUS *de Induc. Belli Belg. Lib. 1.* Ut itaque rebus suis consulereut Hollandi, pacta inierunt cum Gallia et Anglia, ut ibi Leydenfes Doctores approbarentur. Vid. LAN-  
 SYM *de Academ. pag. 6. seqq.* Postquam autem per Pacem Westphalicam supremum dominium obtinuissent Foederati Belgae, plures alias erexerunt Vniuersitates, valentes per totam Europam: nam Maestate reali gaudebant indubitata. Dum dico, quod Iure Maestatico eriguntur Academiae. quaeritur, annon Ius Patronatus maius seu Ius Patronatus Academicum vocari possit? Probat hanc distinctionem ZIEGLERVS *de Iur. erigendi Academ. §. 4.* nec non FINCKELTHVS. *de Iure patronatus Cap. 3. num. 4.* Sed, ut verum fatear, subscribere illis hic non audeo. Nescio enim, quò pacto confunderè possim Maestatem summam, et Ius Patronatus, quod certo respectu semper est sub moderatione Ecclesiastica, quantumuis etiam sublime illud concipias. Ius autem Maestaticum superiorem non agnoscit. Attamen potest aliquò modo in Academia inueniri Ius Patronatus; nimirum si priuatus impensas conferret ad sustentationem certae Professionis, sibi que et suis reseruaret Ius praesentandi dignum subiectum ad hanc Professionem, quemadmodum tale exemplum inuenimus in Vpiliensi Academia. Continet autem Ius Maestaticum circa Academiis non tantummodo Ius concedendi priuilegia, sed etiam illa interpretandi et conseruandi. Plenius hoc deducit KOTHMANN *Resp. Academ. I. Num. 8. seqq.* Ita, ut non tantum Imperator summus conditor sit Academiarum, sed etiam conseruator. Quia saepius in priuilegiis concessis memorat, se hoc fecisse in salutem subditorum et prouinciarum; merito dubitari potest, an Academia Imperatoris autoritate fundata, sine

*Non potest ap-  
 pellari Ius pa-  
 tronatus.*

*Quid continet  
 Ius erigendi  
 Academiis?*

eius consensu tolli possit ex abrogari. Domini Directi interest, ne prouinciae reddantur deterioris conditionis, vt hoc ex Iure Feudali constar. Quam lucrosa autem sit Academia prouinciae, et quod se ipsam sustentet sine onere Domini territorij, et pecuniarum summas in prouinciam inuchat, erudite demonstrat Celeberimus Dominus LVDVIG in oratione, cui titulus: *Fortunae Halensium ex Fridericiana*. Concedit Imperator hoc Ius Statibus Imperij ex plenitudine Maiestaticis, vt exercitio huius Maiestatici Iuris frui possint. Putat MVLZIVS, in *Repres. Mai. Imp. pag. 739. num. 35.* quod etiam Ciuitatibus non Imperialibus concessum fuerit, et exemplum quaerit in Erfurtensi Ciuitate. Sed eo tempore haec Ciuitas pro qua si libera habebatur in Imperio: nam alias fieri in praedictum Statuum Imperij, de municipalibus Ciuitatibus hoc Ius immediate concessum esset. Potest autem Dominus Territorij suum Ius, quod ab Imperatore accepit, in municipalem Ciuitatem transferre, cuius rei exemplum quodam modo esse potest Rostochiensis Academia. vid. COTHMAN. *Resp. Lib. sing. Resp. 29. n. 1. seq. ZVINGER. Theatr. vitae hum. Tom V. Vol. 26. col. 1064.* Semel concessio hoc Iure et Statibus Imperij relicto, Imperator nihilominus ibi mandare potest, quemadmodum Leges Imperij, et modestia scribendo et docendo sit obseruanda. Quemadmodum tale mandatum Caesareum omnibus Academijs fuit insinuatum per Status A. 1715. Hic addere quaestionem cogor: An Ius Academiae per consuetudinem et per praescriptionem possit acquiri? Affirmatiua placuit ZIEGLERO *de Iur. erigend. Academ. §. 8.* et multis alijs ibi allegatis. Sed, antequam solidam decisionem habemus sequentis quaestionis: an summa Iura Maiestatica praescribi possint, nihil certi de proposita hic definire licet. An per priuilegium Statibus Imperij hoc Ius absolute concedi possit, quemadmodum conceditur per priuilegium Ius monetale, quod aequae non pertinet ad superioritatem territorialem, alia quaestio est Doctorem. ANDLERVS in *Corpor. Constitut. Imp. Tom. II. p. 175. seqq.* hoc negat, dicens: *Potestas erigendi et confirmandi Academijs inter summa Reseruata*

An per praescriptionem acquiri possit Ius Academiae? An absolute Statibus Imp. concedi possit?



Caesareae Maiestatis referri potest, quam nulli inferiori ab Imperatoribus unquam communicatam fuisse, legimus. Maxima hic imperatoris resplendet dignitas et potens eminentia, quod, cum aliorum Regalium exercitio Electorum consensum adhibere debeat, tamen circa hoc Regale libere disponat. Sed MVLIVS in Repraes. Mai. Imp. §. 4. pag. 739. exceptiones profert, dicens, quod Austriae Archi-Ducibus hoc Ius absolute relictum sit, et quod Corona Sueciae Ius erigendi Academiam in suis prouinciis Germanicis per Pacem VVestphalicam Art. X. §. 13. obrinuerit. Sed vltimum exemplum nihil aliud continet, quam concessionem particularem vnus Vniuersitatis. Omnia itaque debet Status Academicus Imperatoriae Maiestati, Academiae creationem, Professorum constitutionem, dignitatum denique collationem. Quae vltimae non nisi auctoritate Caesarea conferri possunt. Quomodo Doctores sint creando? Vi exemplum exhibeam rite sacrae collationis, prouocare mihi liceat ad illam, quam peregit Reuerendissimus Abbas Luccensis, eo tempore Theologiae Professor in Academia Iulia, DN. IVST. CHRIST. BOEHMER, Anno 1722. Vid. eius *Fastes Academicos quarum depositos*. Sic autem se habet: *Quod faustum iubeat esse Deus! AVTORITATE CAESAREA, consensu atque adprobatione Serenissimi Potentissimi que Principis ac Domini, GEORGII, Mognae Britanniae, Franciae et Hiberniae Regis, fidei defensoris, Ducis Brunsvic. et Luneburg. S. R. I. Electoris et Archi-Thesaurarii, Academiae Iuliae iam Rectoris et Cancellarii Magnificentissimi, Domini nostri Clementissimi, ego Iustus Christophorus Boehmer. Cuique suum hic distributum est, qui aliter renunciat, peccat.*

VI. Necessitas postulat, vt vnicam ad hoc subiciam quaestionem. A quibusdam enim propositum fuit, an Status Imperii propria auctoritate in suis prouinciis Academiam erigere et Doctores creare valeant? Quod Status Imp. Vniuersale studium sine graduum et honorum distributione, h. e. Gymnasium, quae modum apud nos vocatur, virtute superioritatis territorialis erigere possint, inficias ire nemo potest. Nam quanquam p. 35. probatum

*An Status Imperii propria auctoritate erigere possint Academiae?*

bantur dedimus, quod etiam Gymnasia interdum gaudeat Caesaris  
 privilegiis, haec tamen, iura ipsis specialiter concessa tantum respi-  
 ciunt, ut pote si in Facult. Phil. creare possint Magistros, quemadmo-  
 dum olim Gymnasio Altdorfino, et alia, non vero ius erigendi Gy-  
 mnasium. Hic autem sermo est de honoribus distribuendis in Aca-  
 demiis. Possem hic denuo allegare effatum Maximiliani I. Imp.  
 sed etiam Doctorum sententia et rerum fundamentum est ponde-  
 randum. Plerique antiquiores Statibus Imp. id negant: quos inter  
 nominandi LAMPADIVS *de Republ. Rom. Germ. Part. III. Cap. 12.*  
*num. 5. CARPZOV. in Iurirprud. Eccles. Lib. I. Def. 8. num. 5.*  
 LIMNAEVUS *Eucl. Lib. IV. Cap. 67. num. 7. BRAVTL. CH. Lib. V.*  
*Cap. III. num. 7. HORN. in Iur. Publ. Cap. 41. §. 34. pag. 370.*  
 et plures alii, quos allegare supersedeo. Mihi placet negatiua, et  
 quidem ob hanc causam, quia Status Imperii quidem analogum  
 quid Maiestatis habent, et exercitium summorum Maiestaticorum  
 iurium seu superioritatem territorialem; summa autem  
 Maiestas ipsa, quae solius Caesaris est, caret. Dum  
 Maiestas actum maiestaticum exercet, ab aliis Maiestatibus Eu-  
 ropae, imo Orbis, agnoscitur, quia eadem inter illos est maiestas.  
 Si autem Princeps, maiestate aequali non pollens, exercet  
 maiestaticum actum, ab aliis Maiestatibus agnoscitur nequit. Ex  
 hoc etiam fluit, quemadmodum eruditus Hornius allegato loco  
 loquitur, *ipfos Ordines Imperii tales Academias erigere ausos*  
*fuisse, nullum exemplum esse.* Et recte prouocat ad Friderici,  
 Borussiae Regis, privilegia, Halensi Academiae data, ubi accurate  
 distincti essent, quae ad Caesaris et Domini Territorii iura perti-  
 nerent. Nihilominus alii contrariam opinionem sectantes omnes  
 statutarios se esse putant auctoritate RHETII, in *Disput. de Iur.*  
*Stat. Imp. circ. Sacr. cap. III. pag. 48. n. 34. Francof. habita A.*  
*1675.* necessum itaque est, ut haec officio tandem tollatur. Se-  
 quentem autem in modum loquitur: *Non attentis igitur contra-*  
*riis opinionibus, non tantum Ius conseruandi et dirigendi, sed*  
*et nouas erigendi in suis territoriis Academias Statibus compe-*  
*tere affirmo, quamuis quoad posterius, nempe foundationem seu*  
*erectio-*

*Plerique id*  
*negant.*

*Hec Rhetio af-*  
*firmatiua ob*  
*erudi potest.*

erectionem Academiarum, egregios Iuris Publ. Doctores in contrarium abuisse sciam. Hunc inter alios secutus est BRUNNEMANN. in Exam. Iur. Publ. Lib. II. cap. 2. pag. 50. his verbis: *Interim non Improbabilis est eorum opinio qui propria Auctoritate status Imperii Academias erigere posse asserunt.* Sed vero vacillat fundamentum eorum, qui hanc in parte se fidunt allegato loco Rhetii, magnae mihi auctoritatis Viri; haec certe nunquam fuit eruditissimi Viri opinio; Dissertationem de Iur. Stat. Imp. circ. sac. ipse nullo modo conscripsit; Sed eius Respondens, Georgius de Möller. Hoc adeo verum est, ut Rhetius, cum Dissertationes suas omnes in duobus Vol. imprimi curasset, hanc dissertationem peregrinam et alienam plane omiserit. Postea A. 1686. cordatus Vir edidit *Institut. Iur. Publ.* quod suum opus est, in hoc contrariam sententiam proponit, et publice demonstrat, quod sui Respondentis olim opinionem suam non faciat. Pro fundamento ponit *Lib. I Tit. IV. §. 61. pag. 177.* quod *Imperator omnibus maioribus et minoribus regalibus gaudeat, nisi restrictio probari possit,* quae hic lae nullo negotio demonstratur. Post. pag. 178. §. 63. expresse de Academiis loquitur sequentem in modum: *Concedit quoque Imperator Ius erigendi Academias, easque solus confirmat.* Porro *ead. §. pag. 180.* dicit quidem, quod Status intra terminos sui territorii quaedam regulas exercere possent, sed quod irritum esset negotium sine valore penes externos. Ipsi tanti Viri verba apponam: *Et quamvis Status Imperii ista intra etiam habeant in suis territoriis, in eo tamen differunt, quod extra territorium non valeant.* Quam cautelam tandem etiam agnoscit Brunnemannus alleg. loc. Ut verum fatear, tales Doctores intra provinciam tantum valentes notari possent eo, quod aliquando dictum est ab Hispano: Hic quaerens Mediolani, quis titulus esset summus regis ministris, responsum tulit, quod provinciae Praefes ubique vocaretur Excellentia; sed quod Praefectus castelli tantum intra castellum Excellentiae titulum acciperet. Respondet Hispanus: *Tali modo sua Excellentia in Castello, habet Castellum loco carceris.*

T A N T V M.

## COROLLARIA.

I.

*Vniuersitas Carpzouio est, Corpus et veluti Respublica constituta a Professoribus et studiosis.*

II.

*Si penes Catholicos erigenda Academia, sufficit Imperatoris priuilegium.*

III.

*Omnes Academiae subsunt Episcopis.*

IV.

*Clericorum ordini non esse annumerandos Doctores extra Academiam uiuentes Iterus recte defendit contra Couringium.*

V.

*Solius Caesaris auctoritate gradus academici conferuntur. Si status nomen in cuius territorio Academia fundata, adiicitur, subordinate id fit, ex concessione Imperatoris.*

VI.

*Non potest esse Academia sine aliqua iurisdictione, id quod etiam gentium ius probat. Ita explicanda verba Maltzii, quando dicit: Academiae ius Ciuitatis peculiare inest.*

VII.

*Si Academiae iurdictio simpliciter concessa, iurdictio inferior subintelligitur.*

VIII.

*Academias mittere posse Legatos, demonstrat Launoius.*

IX.

*Academiae a suis fundatoribus Insignia accipiunt, vel ipsae illa eligunt, teste Feschio.*

X.

*Felix Academia ad cuius sustentationem alimenta etiam in natura praestantur. Salaria pecuniaria raro, sed rerum pretia in dies augentur.*

—DS) ☒ (S—

194  
23  


---

217  
179.10

1078







B.I.G.

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Farbkarte #13

7

GOTTLIB RINCK

ICRI  
A ALTORFINA IURIS  
PROF. ORDINAR.  
MENTATIO

DE

ATORIBUS  
PERPETUIS  
ACADEMIARUM  
NIA AUTORIBUS

MDCCXXXIII.  
CE DEFENSA  
NUNC  
DESIDERIIS SATISFIAT  
RATE RECUSA.

IPSI AE  
GABRIELIS TROGII.  
MDCCXXXVI.

(6

Stadtarchiv  
Rathenow

Antiquariat Berlin